



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 1. Ratione naturali demonstratur hæc veritas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

infinitem contemplatur, liceat his finem imponere, ac in dei optimi Maximi laudem Trinegisti illud usurpare: [Quid te laudabit Pater omnium? supra te, an infrate positum? quo verum oculos, ut te laudem? supra ne, an infra? intus, an extra? num modus? an locus? circa te, num aliud quidquam ex omnibus? in te autem omnia absque omnia præbes omnia, nihil denique suspicis, omnia quidem habes, quod autem non habes, id ipsum nihil; qua potissimum in te laudes cantabo tuas? num in his forte quæ in lucem è tenebris eruiisti, an in his, quæ latent adhuc arcano sinu recondita? ipse profecto es quidquid ego sum, ipse es quidquid agam, ipse es quidquid denique dicam.

SECTIO I.

*Ratione naturali demonstratur
hæc veritas.*

- 125 **Q**uia omne ens, aut est primo productum, & causatum, aut non est productum neque causatum: sed non possunt omnia entia esse primo producta & causata, ab alioque in lucem edita: ergo aliquod ens datur non primo productum, nec causatum, sed à se: atqui ens non causatum, nec productum, sed habens esse à se est Deus: ergo iam datur Deus.
- 126 Maior est evidens, cum inter contradictorie opposita nullum detur medium, secundum illud axioma evidentiissimum: quodlibet vel est, vel non est; & secundum illud: impossibile est simul idem esse, & non esse.
- 127 Minor probatur, quia omne quod est primo factum, & productum, non est factum, & productum à se, sed ab alio secundum illud evidentiissimum axioma, quidquid producit, ab alio producit, cuius veritas in hoc fundatur, quod nihil magis fieri repugnet inter ea, quæ nulla ratione esse possunt quam eandem rem à se produci, ut Hieronymus docuit super epistol. Pauli ad Romanos, cuius verba supra citavimus, & Augustin. primo de Trinitate, cap. i. & alibi affirmat, ut enim se ipsum produceret, deberet præintelligi esse antequam produceretur atque ita esse antequam esset, quod contradictionem involuit: ergo omne, quod est factum, est ab alio factum, de quo latius in tractatu ultimo de principiis metaphysicæ.
- 128 Tunc sic; vel illud aliud est primo factum, vel non, si non est factum, est Deus, si factum: ergo ab alio, ac proinde debet procedi in infinitum: sed processus in infinitum causarum, & effectuum non est concedendus: ergo sistendum est in causa improducta ac deueniendum est ad Deum, Minor in qua est difficultas sic demonstratur, & sumamus totam illam collectionem entium procedentium in infinitum; impossibile est, totam illam collectionem causarum efficientium esse dependentem in suo esse, & operari; ergo necesse est dari in illis aliquid independentis, ac proinde non poterit in illo progressu in infinitum procedi, sed sistendum est necessario in ente improducto, & independente; primum antecedens est evidens ex supradicto principio; omne quod producit ab alio producit, &c. si ergo tota collectio rerum esset dependens, debe-

ret necessario pendere ab alio, id autem est impossibile, quia nec *to aliud*, est intra collectionem, nec extra collectionem; de extra est certum; quia nihil aliud est extra collectionem, quia collectio est omnium entium, seu causarum: ergo includit in se & intra se omne ens; sed ultra omne ens nihil est: ergo nullum est extra collectionem, à quo possit pendere tota collectio.

Nec illud à quo pendeat tota collectio, est intra collectionem, quia si tota collectio penderet ab alio ente intra ipsam comprehenso, illud procederet à se ipso; quia cum illa collectio tota, & adæquate dependeat, & secundum omne quod habet ab illo ente, necessario sequitur ut illud ens, quod est aliquid illius collectionis, etiam dependeat ab eo, à quo collectio tota dependet; sed tota collectio dependet ab illo ente: ergo de primo ad ultimum ipsum dependet à se ipso.

Quod autem tota collectio adæquate dependeat, sic probatur, quia si omne ens diuisive, aut distributive sumptum est dependens, & factum, necessario etiam collectio omnium est dependens, & facta adæquate; siquidem adæquate non est aliud, quam omnia entia diuisive, & distributive dependentia; quia cum illa collectio non esset ens per se, sed pluralitas, aut multitudo, nihil potest addere supra omnes partes simul sumptas: ergo si omnes partes illius collectionis dependent, necessario, & euidenter sequitur ut illa collectio dependeat ab eo, à quo omnes partes dependent; non quidem una singulari dependentia, aut actione, sed collectione omnium dependentiarum, quibus omnia entia dependent.

Non enim alia ratione potest esse dependens aliqua collectio entium, nisi quia in ea nullum est ens, quod non dependeat: ergo si tota collectio entium non potest esse dependens, necessario debet in illa collectione esse aliquid omnino independentis, quod sit Deus.

Vergetur, ac declaratur hic discursus amplius, quia ex infinita illa multitudine indiuiduorum nullum omnino est, quod fuerit ex se ipso: sed omnia profus, ac singula fuerunt à causa efficiente, ab ipsis realiter distincta: ergo extra eam multitudinem, seu collectionem est aliqua causa, à qua aliquod saltem acceperit esse. Patet consequentia, nam in generationibus procedentibus in directum non est circulus causalitatis; ita ut generans pendeat à genitis, quorum causa fuit: in tota illa collectione indiuiduorum nullum est à se, aut non productum, quia omnes habent principium suæ generationis intra eandem speciem; alioquin esset circulus dependentiæ, & causalitatis: ergo necessarium est principium aliquod extrinsecum, à quo vnum saltem illius collectionis indiuiduum sit productum; ratione cuius tota collectio dicitur habere esse ab alio, non à se.

Dices non valere argumentum à singulis indiuiduis, vel partibus vnius magnitudinis, aut collectionis infinitæ; nam si mundus, tempus, ac generationes fuissent ab æterno, verum esset dicere ex infinita multitudine dierum nullum finire ex infinita multitudine dierum nullum generalem fuisse ab æterno, nec etiam vllam generationem ex infinita collectione earum quæ præterierunt; eodem modo quamvis nullum omnino indiuiduum ex tota collectione alicuius speciei designari possit quod non fuerit ab alio, non ideo necesse est, ut tota collectio fuerit ex alio. Sed hæc responsio, licet apparens sit, & possit fallere,

fallere, non aduertentes distinctionem in esse ab alio tanquam à principio durationis esse, & esse ab alio tanquam à principio generationis actiuo, in qua consistit tota vis argumenti; nihilominus tamen, si attendatur ad dictum discrimen, manifeste refellitur solutio hæc; nam esse ab alio, tanquam à principio; vel initio durationis extrinseco, necessario involvit esse post non esse, ac proinde initium ex tempore, ac negationem durationis ab æterno; ideoque cum repugnet æternæ durationi hoc modo esse ab alio, nihil mirum, si ex initio singularum partium temporis ab æterno non recte colligatur initium totius temporis æterni, cuius est proprium, vt quavis parte designabili in infinitum habet alias, atque alias anteriores sine principio; at vero esse ab alio, tanquam à principio generationis actiuo, non repugnat cum existentia rerum ab æterno secundum opinionem eorum; nam sol si ab æterno fuisset, ab æterno quoque illuminasset, & motus cæli, si ab æterno secundum Aristotelem fuisset, non esset ex se, sed ex principio extrinseco, nempe intelligentia motrice: quo casu recte concluderet hoc argumentum; omnes ac singuli motus diurni orbium cælestium non sunt à seipsis, sed ab extrinseco principio: ergo tota ipsorum collectio non est à se ipsa, neque hic locum haberet distinctio illa partium determinatarum, vel indeterminatarum: quare cum argumentum nostrum procedat, etiam dependentia à principio extrinseco actiuo, parum facit ad rem distinctio illa.

134 Dices; non esse eandem rationem in motu cæli ab æterno, & generationum indiuiduorum ab æterno; nam omnes ac singuli motus diurni sunt ab intelligentia motrice, quæ est principium extrinsecum cælo; & ideo verum est dicere, cælum non moueri ex se; at vero omnes, ac singula generationes determinate sumptæ sunt ab indiuiduis eiusdem speciei; ideoque cum indiuidua continentur intra terminos speciei, recte dici posse illam ex se esse, & non ab extrinseco principio.

Sed contra manifeste, quia hæc solutio nulla ratione nititur, nam impossibile est dari mutuatam, siue circularem causalitatem in eodem genere causæ, ac proinde cum omnia indiuidua illius collectionis sint ex causa efficiente à se diuersa, recurrendum est ad principium extrinsecum; vt autem res magis simili exemplo pateat, si per impossibile fierent infiniti globi cælestes eiusdem naturæ cum his, qui modo sunt, & mouerentur omnes, ita tamen vt primus versus non moueretur à secundo, secundus à tertio, & sic in infinitum, verum esset dicere omnes, ac singuli mouentur ab alio: ergo tota collectio mouetur ab alio & non ex se, neque totaliter, neque partialiter; ac proinde dependet ab alio extra se ipsam, siquidem non mouetur proprio impetu; atque impulsu, his enim deberet in aliqua parte ipsius, vel in singulis inesse, quod est falsum, singuli enim orbis trahuntur ab aliis, atque adeo assignanda est vis aliqua extrinseca impellens, cuius vi partes aliquæ rotentur, & secum rapiant inferiores eadem omnino ratione ex infinita multitudine indiuiduorum eiusdem speciei alia generant alia, & quia gignendi vis innitur ipso esse, quod est operationis fundamentum, sicut singula non habent illud à se, sed vnumquodque dependet ab alio extra se, sic tota collectio non habebit nec po-

terit dependere, neque à se tota, neque à parte propria, sed ab extrinseco principio, cuius ipsum esse sit actus proprius & essentialis.

Dices, sicut totum compositum pendet à parte, vt. g. à materia, & tamen propterea forma non dependet à se ipsa, ita similiter posse totam collectionem dependere ab aliquo intra ipsam contento, tanquam à parte dependere, quin illud à quo dependet tota collectio à se ipso dependeat.

135 Sed contra, nam vt bene aduertit Pater Suarez, maximum discrimen datur inter dependentiam effectiuam, & materialem aut formalem, nam totum pendere à partibus nihil aliud est, quam componi ex illis, & ideo non est necesse vt materia, aut forma se ipsis componat, sed solum vt suum proprium, & intrinsecum esse conferant composito, dependere autem efficienter est recipere ab alio suum esse distinctum ab eo, quod est in causa, & ideo si aliqua multitudo secundum se totam effectiue pendet, necesse est vt pendeat ab aliquo non comprehenso in illa multitudine, nam si ab aliquo in illa comprehenso penderet, vel illud penderet à se ipso, vel certe non tota multitudo adæquaret, & secundum se totam erat dependens, dixi adæquate, & secundum se totam, vt excludatur dependentia secundum quid, seu secundum partem, qualis est vt. g. dependentia effectus à causa secunda, vt ignis ab igne genito, dicitur enim totus ignis genitus dependere à generante, quia sine actione eius re vera non fuisset hoc totum, tamen illa dependentia est tantum ratione formæ, & vnionis eius cum materia, non est tamen adæquata ac per se primo, seu secundum se totam, quia entitas materiæ per se non pendet ab actione ignis.

137 Cum ergo dicimus totam collectionem entium non posse esse dependentem, intelligimus hoc modo scilicet adæquate, & secundum se totam, nam secundum partem dici potest dependens, quia ablata vna parte non esset illa collectio formaliter loquendo; & hoc modo etiam potest collectio ratione vnus partis pendere ab alio in illa comprehenso, vt per se notum est, tamen hoc nihil obstat, quominus in illa connexion, detur aliquod ens simpliciter independentens; & non factum quod nos deducere intendimus; at vero loquendo de collectione entium secundum se, sed totam & adæquate dependente, id est secundum omnia entia, quæ illam quasi componunt, sic impossibile est totam collectionem sic dependentem pendere ab aliquo in illa incluso, sed necesse est vt sit extra illam; vnde è conuerso sumendo totam collectionem entium, extra quam nihil sit, impossibile est totam illam esse dependentem.

Neque etiam potest fingi mutua talis dependentia, ita vt in ea circulus detur, vt superiori etiam discursu late probatum est, agimus enim de propria dependentia, quæ inferior causa dependet à superiori, ita vt totum illius esse, posse, & agere, in altera nitatur; igitur necesse est vt in tota collectione causarum per se ordinatarum (quæcunque illæ sint) detur aliqua independentia omnino ab alia superiori, quoniam alias tota collectio esset pendens, quod repugnare ostensum est.

SUBSECTIO I.

*Speciatim distinguendo duplex genus causæ,
oppugnatur processus in infinitum.*

139 **P**rocessus in infinitum potest esse duplex, vel causarum essentialiter subordinatarum, vel accidentaliter, aut per accidens talium. In hac subseptione agendum est nobis de causis essentialiter subordinatis, quæ per se requiruntur ad effectum, ita ut necesse sit eas existere quando producit effectus, & vnam esse subiectam alteri, eo modo quo habitus subijcitur intellectui, & hæc inferiora subduntur corporibus cœlestibus, aut causæ secundæ, & primæ, à quarum concursu dependet effectus, in hoc ergo genere probo non dari processum in infinitum, ad quod aduerte in concursu harum causarum ad productionem vnius effectus illæ causæ, quæ ita mouent, ut moueantur mediæ appellantur à Aristotele lib. 3. de anima, textu 65. & lib. metaphysica textu 6. ex natura autem, & ratione formali causæ mediæ, quæ supra rationem causæ addit rationem effectus, vel saltem subiecti patientis à priore agente, cuius actiua motione indiget ut operetur, atque adeo non aliter agit, quam si prius saltem natura ipsa moueatur ab alia sumitur efficacissimum, & euidentissimum argumentum ad probandum nostrum intentum; hanc autem rationem formalem causæ mediæ explicuit Arist. loco citato in hunc modum: [Primum mouens pellit, & non pellitur, medium autem utraque,] hoc est pellit, ac pellitur, considerat autem Aristoteles quoddam aggregatum ex causis essentialiter subordinatis & effectui qui non sit causa, cuius extrema sunt causa prima mouens, non mota, & effectus siue eius subiectum motum non mouens, media vero cætera quæ mouentur, & mouent, mouentur à superioribus, mouent autem inferiora; vult ergo Aristoteles, ut media sine actione primi mouere aut agere nequaquam possint, ac proinde non posse dari processum in infinitum.

140 Ratio autem sic efformatur, si idem effectus procederet ab infinitis causis essentialiter subordinatis, sine eo quod deueniatur ad aliquam primam simul producentem, & improductam, mouentem, & non motam, omnes erunt causæ mediæ essentialiter, quia ex sua natura petunt ita producere, ut simul ab alia producantur: sed solæ causæ mediæ sine actiuo concursu primæ producentis, & improductæ non possunt producere & agere: ergo impossibile est ut hic numero singularis effectus dependeat ab infinitis causis producentibus illum, non adiutis ab aliqua causa prima producente, & improducta, quæ Deus appellatur.

141 Maior ex terminis liquet, quia causa media, ut constat ex dictis, est mouens mota, sed in toto illo processu causarum omnis est mouens, & mota: ergo omnes sunt mediæ. Minor sic probatur, nam sublatæ actione causæ, quæ non mota mouet intermedia non mouentur; cum autem non aliter moueant, nisi motæ sint, si careant actione causæ primæ producentis improductæ, mouentis immota, necesse est ut agere nullo modo possint.

142 Urgeretur ac declaratur amplius, quia actio primaria, & principaliter inchoari debet à causa superiori mouente, à qua inferior pendet; vnde impossibile est inchoare actionem inferiorem causam, nisi influente prius superiori, ordine saltem

independentiæ, & principalitatis; si autem quælibet causa haberet maiorem, & nunquam perueniret ad superiorem illa est à qua primo, & per se possit inchoari actio: ergo impossibilis erit omnis effectio; vel aliter, si illo modo in infinitum progreditur, sit ut tota series, & collectio causarum sit dependens: ergo ab aliqua superiori pendet: ergo ab illa principaliter inchoanda est actio: si ergo talis causa nulla est nullo modo poterit actio vlla inchoari.

Aliter cum Diuo Thoma formari potest hæc ratio, quia secundum leges naturæ effectus limitatus, & finitus perfectionis non potest petere infinitas actus causas influentes in ipsum; tum quia infinitum naturaliter non datur, & ut superfluum rejicitur; tum etiam, quia si ille infinitus causarum concursus esset possibilis præter omnem rationem fingeretur de facto dari in causis per se subordinatis, quia nec potest ostendi necessarius, neque in rebus potest inueniri aliquod signum aut vestigium talis multitudinis, aut influxus infiniti, quis enim, aut apparenti ratione tantam causarum multitudinem fingeret ad productionem formicæ v. g. ergo, ut essent infinitæ causæ eiusdem effectus, necessaria esset eleuatio, sicut; & ad alia, quæ naturaliter non possunt fieri: ergo requireretur causa, à qua eleuarentur; & hæc est Deus, qui virtutem habet agendi supra leges naturæ. Secundo quia irrideretur qui assereret, opus aliquod artificiosum, ita pendere à pluribus artificibus, ut nullus sit, cui cæteri subordinentur, sed quilibet pendeat ab alio in infinitum; cum ergo creatura, & præsertim vniuersi machina opus sit maxime artificiosum, non est abeundum in eius artificibus in infinitum, sed sistendum in aliquo supremo, & sapientissimo, qui est Deus.

Ad primum argumentum respondent aduersarij non valere à diuisis ad coniuncta negando, & ita Aristotelem, ex eo quod singula mouentia sint mota, & non agant virtute propria, sed virtute alicuius primi mouentis non arguere totam collectionem ipsorum non moueri à se, & consequenter niti debere virtute alicuius primi mouentis; vnde ea consequentia videtur inepta, cum possit dari virtus in aliqua collectione, quæ nullo modo reperitur in singulis partibus, nam si centum homines vniantur possunt grauissimum pondus ferre, quod vnusquisque illorum sustinere non potest, ita similiter, licet quodvis ex agentibus mediis non possit ex se mouere, nihilominus tamen omnia sumpta poterunt.

Sed contra hanc solutionem manifeste emergit ratio falsitatem ipsius reuelans, supponit enim argumentum nostrum procedere proprie à diuisis ad coniuncta, quod tamen est falsum, quia tunc arguitur à diuisis ad collecta, quando à singulis partibus per se sumptis, & non connumeratis cum aliis partibus, sumitur argumentum ad totam collectionem, ut patet in exemplo centum hominum, ita enim negatur de singulis si scortum sumantur, & non vnus post alium sibi coniunctum; at vero quando partes connumerantur aliis, ita ut de singulis post alia vere aliquid affirmetur aut negetur de tota collectione vere poterit affirmari, vel negari, ut si dicamus Petrus ferre potest hoc pondus, ut si dicamus Petrus ferre potest hoc pondus, & simul cum illo, & cum hoc: ergo portare, & ferre poterit omnia tria pondera, & hoc secundo modo procedit nostrum argumentum, causarum enim mediarum si singulæ ita sunt motæ ab aliis, ut motio vnius supponat motionem reliquarum, ut motio vnius in infinitum semper sumere licet ita ut ascendendo in infinitum semper sumere liceat vnam post aliam, quæ sit mouens, & mota, & quidam

Quaest. I. Vtrum Deus demonstrari possit. 165

quidem in quouis numero finito causarum mediarum, recte valet argumentum ut per se est evidens; nam si sint decem causae mediae, omnes debent ab alia moveri, & proinde decima ab effectu non erit prima, sed necessario supponet primam; ita quoque in infinitis causis mediatis si de singulis sumptis post alias vere dicitur non ex se, sed ab alia habere vim mouendi, idem quoque de omnium collectione dici debet.

146 Et confirmatur; quoniam tota haec collectio causarum, vel est mouens ex se vel ab alio; si ab alio, habetur intentum; si ex se, proculdubio aliquid in ea est mouens non motum, producens non productum, ac proinde non omnes causae sunt mediae, sed aliqua prima; non enim concipi potest ut in collectione causarum, quarum nulla habet à se vim agendi sed indiget extrinseca motione alicuius, ut sit vis agendi ex se.

147 Aliter eadem solutio impugnatur admittendo argumentum procedere à diuisis ad coniuncta, aduertendo hunc argumentandi modum non esse formalem, valere tamen ratione materiae quoties sermo est de praedicato essentiali, vel proprietate necessario coniuncta essentiali, verbi gratia, singuli homines sunt apti ad ratiocinandum; ergo & omnes simul sunt apti, sic similiter singuli effectus pendunt ex sua essentia, & natura: ergo omnes simul pendebunt ab una causa, &c. Tunc sic moueri ab alio ad agendum est de intrinseca ratione causae mediae, & non primae: sed singulae ex infinita multitudine sunt mediae, & non primae: ergo omnes moueri debent ab extrinseco.

148 Dices; principium illud Aristotelicum omne quod mouetur, mouetur ab alio, solum ab eo usurpatur quoad motum localem in quo est peculiaris ratio repugnantia, quae non reperitur in aliis actionibus; nam mouens motum localiter mouet per contactum, & motum; at infinitorum mouentium motus nequit pertransiri, & ideo nullum corpus certum potest moueri localiter dependenter ab infinitis mouentibus mediis, hoc est motis etiam localiter; quae ratio non habet locum in agentibus absque motu per momentaneam actionem productiuam vnius ex alio; non enim repugnat rem productam posse hoc modo agere in ipso productionis instanti, quo primum est.

149 Sed contra, quia haec solutio nullius momenti est, & in primis Aristoteles, quamvis crebro usurpet illud principium in materia motus localis, nonnunquam etiam illud supponit absque determinatione ad certam materiam, ita lib. 2. *Metaphysicae*, textu 5. ait: [non sunt infinitae entium causae,] non dixit motuum aut motorum, sed entium causae, ut complecteretur omni modum cauandae rem aliquam quem cum infinitate causarum coherere non posse contendit; non agere vero solum de causis ad motum localem determinatis constat, quoniam Metaphysicus considerat causas in sua abstractione & amplitudine sub abstractione à motu, & lib. 2. de Generatione, tractat. 68. lib. 12. *Metaphysicae*, textu 12. & alibi saepius idem principium applicat ad generationes substantiales, applicandum vero ad quoduis genus actionis productivae constat ex ratione, quia Aristoteles vere negat eiusmodi progressum in mouentibus superius posita; non vero ex ea quae in responsione adducitur.

150 Nam licet ad motum requiratur tempus, non videtur repugnare ut motus eius, quod motum alias secum trahit solum natura non tempore praecedat motum, quem causat, ut patet in orbibus excentricis, qui simul tempore mouentur, & tamen superior est mouens motum, mouetur enim

à primo mobili & excentricum in se inclusum, propria itaque ratio est, quoniam mouens non primum hoc intrinsece vendicat, ut non pellat aliud, nisi ipsum pellatur ab alio; haec autem ex aequo procedit in quouis infinitudine causarum non primarum, siue mouentes siue generantes siue quouis modo producentes sint, semper enim si nulla est prima; sed omnis media supponunt vim aliunde sibi impressam ad agendum; quia mediae non agunt, quin agantur prius saltem natura, quapropter siue illa repugnantia ex peculiari ratione motus localis sit vera siue non repugnantia, quae sumitur ex propria ratione causae mediae, quae non mouet ex se, sed ab alia mota, aequae reperitur cum orbibus agentibus motis ab alio, etenim agens non ex se dicit necessario habitudinem ad agens aliud à quo determinatur, & vim recipit ad agendum, tota autem illa infinita collectio causarum essentialiter subordinatarum est agens non ex se: ergo dicit essentialem habitudinem ad certam aliam causam extra eius latitudinem constitutam, alias tota erit mota, producta & dependens à se ipsa quod est falsum.

Secundo sic argumentor principaliter, quia 151 tota illa collectio causarum est dependens: ergo non est necessaria: ergo aliquando est possibilis esse & non esse: ergo non est sine vltima, impossibile enim est quod ab aliquo dependens & non est necessarium semper habeat esse naturaliter, nisi hoc per potentiam Dei absolutam sit, quod an cognoscat per lumen merum naturae difficultimum est; unde naturaliter quod possibile est & non est à se actualiter aliquando est & aliquando non est; si igitur illa collectio est possibilis, erit possibilis esse & non esse: ergo aliquando nihil fuit in rebus: ergo quando habent esse habuit ab alio extra collectionem vel intra ipsam collectionem & hoc est impossibile, quia etiam erit ab alio, & sic etiam indigebit alio à quo abstrahatur à possibilitate & reducatur ad existentiam; unde si non est aliud quod sit à se, nunquam habebit tota illa collectio esse existentiale, quia omne id quod positum est in possibilitate pura à seipso non potest habere existentiam, nec ab alio, quia non est; unde colligitur euidenter nullam entitatem à parte rei existere, quod est contra euidentem experientiam: ne ergo haec absurda dicantur, asserendum est dari quandam causam omnino necessariam à se, quae omnem entitatem creatam & factam possit ponere extra possibilitatem in actu.

Urgetur amplius ac declaratur ex D. Thoma, 152 quia inter omnia entia mundi quaedam sunt contingentia, ut experientia patet, ac proinde indifferentia ut existant & non existant: ergo asserendum est aliquid ens omnino necessarium & minime indifferens ad existendum, & non existentiam, quia si omnia essent contingentia, aliquando nihil fuisset aut certe potuisset accidere, ut nihil omnino existeret, quod si re vera accidisset, foret impossibile aliquid esse; quia nullum esset ens virtute cuius produceretur: ergo impossibile est quod omnia entia sint contingentia, sicut est impossibile omnia esse impossibilia: aliquid ergo ens oportet esse necessarium: vel ergo hanc necessitatem habet à se, & id est proprium Dei: Deum enim appellamus ens à nullo alio pendens in existentia vel hanc necessitatem habet ab alio, & tunc illud à quo necessitatem habet Deus esset, dici enim non potest in hoc genere abiri in infinitum; quia id perinde foret, ac si in causis efficientibus

cientibus in infinitum procederet, quod iam reiectum est.

153 Tandem nullum indiuiduum totius collectionis potest habere esse à se, alias iam daretur ali- quod indiuiduum in illa collectione quod esset Deus, quod est contra suppositum talem collectionem ponentis: ergo tota illa collectio non est à se: ergo aliqua causa superior est in rerum natura, à qua primo esse acceperunt omnia illa indiuidua, totaque collectio; hæc vero non potest esse cælum: ergo est substantia corporis expers excellentiorisque naturæ. Rursus vel talis causa ex se habet esse, vel habet illud acceptum ab alio; si ex se: ergo darat substantia corporis expers quæ ex se ipsa existat, quæque causa sit effectrix omnium rerum creaturarum; hanc vero Deum appellamus: ergo Deus est, quod si habet esse ab alio cum non detur processus in infinitum, tum eo quod posteriora esse non habeant nisi virtute priorum, & tota collectio ex se non sit, sed opus sit ab alio produci, si existere debeat dandum; proculdubio erit aliquod primum, quod cæteris emineat, & quod origo sit cæterorum; ipsum vero neque à seipso producat, neque ab alio, (primum quia quidquid producit, ab alio producit; secundum, quia iam destructus est processus in infinitum) sed ex se necessario sit.

154 Declaratur, quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa mediæ, & medium est causa ultimi, siue media sint plura, siue vnum tantum: ergo si non fuerit primum in causis efficientibus non erit medium, & si non est medium non erit ultimum, quia ultimum habet esse à medio, & medium à primo: sed si procedatur in infinitum in causis per se, & essentialiter subordinatis non erit primum: ergo nec medium, nec ultimum, & sic nulla res in mundo erit quod est falsum.

155 Probat, quod causa mediæ necessario dependeat à prima, quia de ratione causæ est efficacia; nam si causa non efficit, non est causa. Efficacia actualis in sua causalitate actuali consistit, & sic nisi efficacia compleatur, neque causalitas, neque causa actu erit; unde quidquid repugnat complemento causalitatis repugnat & causæ. Tum sic, complementum causalitatis causæ mediæ necessario petit esse dependentiam à prima, quia mediæ est secunda, & secundum dicitur respectu primi, quare vel mediate, vel immediate dependet mediæ à prima; nam si non dependet non est mediæ; unde si tolleretur prima causa, & ante omnem causam esset alia causa nunquam perficeretur causalitas istarum causarum essentialiter dependentium, conditionalis ista est clara, quia infinitas descensus, vel ascensus repugnat complemento.

156 Tum denique, quia processus iste infinitarum causarum, (quatenus per se requiruntur ad effectum actu subordinatum essentialiter ipsæ causæ,) actu debet dari ad quæcunque actionem actu fluentem à quacunque causa; unde, quando ignis particularis huius candelæ, verbi gratia, produceret alium ignem in alia candelâ, necessario concurrerent infiniti ignes, quos necessario videremus concurrentes eo modo, quo videmus illum singularem ignem candelæ concurrentem actu: sed ipsa experientia nos docet hoc esse falsissimum, quia oculis clarissime videmus non concurrere nisi vnicum & singularem ignem. Quomodo enim infiniti ignes in vno cubiculo paruo existerent, ad concurrendum cum illo igne candelæ? certe nullo modo. Ex quo manifeste colligitur nullo modo dari infinitas actu causas essentialiter subordina-

tas, neque dari processum in infinitum causarum essentialiter subordinatarum.

SVBSECTIO II.

Processus in infinitum causarum per accidens subordinatarum euidenter ac manifeste repellitur.

157 **V**Tharum demonstrationum vim eludant, A. theista confugiunt (tquam ad ras, quas vocant suæ felicitatis Palladium) à d subordinatorem causarum per accidens, & ad processum infinitum earundem quas infinitas esse non repugnat secundum errorem Aristotelis, qui posuit mundum, & generationes rerum ab æterno, & proinde præcedere debuerunt infinita indiuidua rerum generabilium, quorum alia ab aliis antecedentibus producerentur, aiunt enim rerum generabilium, siue generationis expertum essentias non aliunde quam ex se ipsis non vllius causæ virtute, sed suapte natura ab æterno extitisse, quales nunc sunt; ex enim inquit aptus est homo, ad ratiocinandum, auis ad volendum, &c. & ex cuiuscumque rei natura propriè fluunt proprietates, quibus ad agendum, vel patiendum red dicitur idonea.

Ex quo amplius colligunt semper in mundo fuisse etiam indiuidua aliqua corruptibilia, quæ ex omni æternitate perpetua successione conseruarentur, itav ante quodlibet extiterit aliud, ad quod aliud in infinitum; in quo discursu, ut patet, non requirunt progressum in infinitum in causis essentialiter, sed solum in accidentaliter subordinatis, ita tamen ut huius infinitæ multitudinis nolint esse vnum principium extrinsecum à se, quoniam ipsa inquit rerum natura, & essentia necessario vendicat alicuius, saltem indiuidui existentia, quando omnium non petit, unde concludunt dicendo etiam si vniuscuiusque indiuidui existentia non sit necessaria, & à se, nihilominus tamen à se speciem illam talis processus indiuiduorum vage & necessario petere existentiam actualem, & sic posse saluari processum in infinitum causarum per accidens subordinatarum docent impudentes, ac pertinaces.

158 Sed contra hanc solutionem insurgo, proban- do primum non omnes res suapte natura, & ex principis essentia habere necessario existentiam, quoad aliqua indiuidua; secundum, & consequenter impossibilem esse processum in infinitum in causis accidentaliter subordinatis, nisi fulcia in virtute alicuius principij extrinseci, non subordinati alteri causæ eiusdem generis, nec alterius, ac proinde demonstrabo tale principium esse à se, & sic esse Deum.

159 Quibus positis sic argumentor, quia quod non est actus purus, neque vage, neque determinate est, non habet necessitatem essendi vilo modo, siue vage siue determinate; sed nulla species rerum generabilium est actus purus in ratione essendi: ergo nulla species rerum generabilium habet esse necessario, aut habet necessario existentiam siue in omnibus indiuiduis, siue in aliquo vage, & confuse; minor si probatur, quia nullum ens potentia- mine si probatur, quia nullum ens potentia- le potest esse purus actus in ea ratione qua potestiale est: sed omnis species creata est ens potentiale in ratione essendi: ergo nulla species creata est purus actus in ratione essendi. Maior est euident, quia purum ut purum in ea ratione

qua tale est, non dicit mixtionem alterius rationis, siue opposita, siue distincta, ab illa in qua habet puritatem, ut videre est in vino puro, &c. sed ratio potentialitatis opponitur, & minimum distinguitur ab actualitate: ergo ens, quod habuerit potentialitatem, non potest habere puritatem in ratione actus: minor est evidens, quia omne ens potentialitatis expers includit intrinsecè, & essentialiter ipsum esse, & contra id cui esse non est essentialiter, est ens potentiale: sed species rerum creaturarum non includunt essentialiter ipsum esse: ergo sunt entia potentialia. Maior est certa, ideo enim Deus si daretur in vestra sententia eo modo quo fides nostra docet, sine dubio, quia actus purus esset in ratione essendi, includeret essentialiter ipsam existentiam, & actualitatem essendi, & quia vno non est potentialitas vniendi: sed, vltima actualitas includit essentialiter ipsum actu vniendi: materia autem prima, vel forma rationalis quia non sunt puri actus in ratione vniendi, non includunt essentialiter ipsum actu vniendi: ergo omne ens potentialitatis expers, &c.

161 Minor pater, quia quicquid est de essentia superioris, est de essentia inferioris, secundum regulam Aristotelis in *antepredicamentis*, cap. 3. & lumen ipsum rationis, inferiora enim includunt omnes rationes formales intrinsecas superiorum, nam cum sublata qualibet ex illis destruitur essentia superiorum, fieri nequit ut hæc insint inferioribus desiderata aliqua ratione formali, aut essentiali superiorum; sed de ratione formali, & essentiali indiuiduorum specierum generabilium non est ipsum esse, alioquin necessario semper essent, & repugnaret, ut de nouo generentur, & aliquando corrumpantur, quod tamen, & natura ipsorum exigit, & experientia compertum est: ergo de essentia specierum generabilium non est ipsum esse, & consequenter sunt entia potentialia. Maior illa prima est certa, quia quod non est purus actus de se est in potentia ad essendum; sed quod est in potentia ad essendum, de se non potest habere esse neque determinatè, neque indeterminatè necessario: ergo quod non est purus actus in ratione essendi non habet necessario esse. Minor sic pater, quia id quod est in potentia & potentiale ex se nullo modo potest esse actu ex se, nam potentialitas infert distinctionem inter potentiam, & actum, quia nihil est in potentia ad se ipsum; unde existentia non est in potentia ut sit existentia, neque albedo est in potentia ut sit albedo, atque adeo opus est actiua virtus, quæ actum distinctum à potentia passiuâ illi vniat, quod bisariam contingere potest, vel ita, ut potentia actiua sit omnino extrinseca enti in potentia, vel ut idemmet ens sit secundum aliquid actu, secundum aliquid in potentia, & per id, quo est actu reducat ad actum id quod est in potentia; si priori modo se res habeat, perspicuum est ens potentiale non esse actu necessario ex se ipso; si vero posteriori, aut primum illud, ratione cuius est actu, est à se, vel ab alio; si ab alio, patet etiam huiusmodi ens non esse necessario à se, sed ab alio extrinseco, virtute cuius sit actu id, quo reducitur ad actum potentialitas illa, de qua loquimur; si vero primum sit à se, & non ab vilo alio, necessario debet carere potentialitate ut sit, atque adeo semper in re, quæ ex se necessario est, includi debet aliquid expers, omnis potentialitatis, & causalitatis extrinsecæ. Tunc sic, tota illa collectio, siue vage, siue determinate est in potentia de se ad essendum, & sic quodcumque indiuiduum illius corrumpitur, & producit, sed quidquid de se est in potentia ad essendum, de

se non potest esse in actu essendi; quia sicut opponitur priuatiue esse in potentia, & esse in actu simul, quia esse in potentia dicit carentiam actus, & priuationem illius; ita similiter esse ex se in potentia, & esse ex se simul in actu opponitur priuatiue, ac proinde non potest habere puritatem in actualitate essendi: ergo non est actus purus ex se neque vage, neque determinate, quia siue vage, siue determinate esset actus purus, esset in aliquo indiuiduo, sed nullum indiuiduum est speciei corruptibilis, quod sit actus purus, in ratione essendi, siquidem omne indiuiduum potest corrumpi in quo casu separaretur potentialitas essendi ab actualitate essendi, & tunc maneret tale indiuiduum in pura potentialitate essendi; sed quod ex se est in pura potentialitate essendi non potest esse actus purus essendi: ergo in nullo indiuiduo est actus purus essendi.

162 Confirmatur, quia omnis actus purus debet esse necessario à se; sed nulla collectio indiuiduorum est necessario à se: ergo nulla collectio indiuiduorum est actus purus. Maior est certa, quia omnis actus purus non indiget alio, ut sit in actu essendi; sed quod non indiget alio, ut sit in actu essendi est à se, & non ab alio: ergo omnis actus purus est necessario à se, & non ab alio; quod patet manifeste, nam omnis actus purus est infinite perfectus, quia habet puritatem in ratione essendi, quæ est radix omnis perfectionis, quam actualiter sine vlla potentialitate debet habere; sed quod est infinite perfectum, debet habere omnem perfectionem; sed vna ex maximis perfectionibus est non esse ab alio, nec dependere ab alio, sed esse à se: ergo actus purus in ratione essendi est à se, & non ab alio.

163 Declaratur: si vos per impossibile concederetis dari Deum, sine dubio diceretis esse actum purum in ratione essendi, & quia esset talis, nullamque habens potentialitatem ad essendum, nullo indigeret quo reduceretur à potentialitate ad actum essendi, neque egeret auxilio extrinseci agentis, medio quo transiret talis entitas à possibilitate ad actualitatem existentiam, & sic sine dubio, esset à se, & non ab alio: ergo puritas actus in aliquo ente inducit necessario in illud carentiam alicuius extrinseci agentis, à quo sit, & à quo habeat esse; quod sic demonstratur, quia ideo creatura non indiget extrinseco agente ad hoc ut sit possibilis; quia secundum rationem possibilitatis ex se est; sed actus purus, quatenus actus purus est in se habet actualitatem essendi: ergo ut habeat illam non indiget alio extrinseco agente.

164 Quod à contrario sensu demonstratur: id quod habet potentialitatem in essendo, v.g. Petrus, quia est possibilis ex se, & habet potentialitatem in actu essendi non potest à se primo poni in actu essendi, quia possibilitas, & potentialitas ad essendum non est potentialitas dominij, sed potius, potentialitas passiuâ ad existendum, eo modo quo visibilitas, & intelligibilitas sunt potentialitates passiuæ; sed actus purus essendi opponitur potentialitati ad essendum: ergo si id, quod est in potentia ad essendum, non potest à se esse in actu essendi, id quod est purus actus essendi, à se, & ex se erit in actualitate essendi; v.g. quia anima rationalis formaliter est actus informandi, in ea ratione non indiget aliquo actu formaliter quo constituitur in esse actus informantis, & sic per se, & ex se formaliter est talis actus; sed actus purus essendi non solum formaliter, sed etiam efficienter est actus purus: ergo efficienter non indiget aliquo, à quo ponatur in actu essendi, ac proinde omnis actus

actus purus à se erit sine vlla potentialitate essendi ab alio. Minor sic probatur, quia id quod est actus simpliciter purus in ratione vniuersalissima essendi habet omnem rationem actualitatis: ergo expellit omnem potentialitatem, quia si non expelleret illam, non diceretur purum in ratione actualitatis, quia quod purum simpliciter est, excludit ex se omnem mixtionem rationis oppositæ vel extraneæ; quapropter quod purum est in ratione scientiæ excludit omnem mixtionem erroris, inscitæ, & ignorantie, quia purum est bonum, & bonum ex integra causa: ergo quod purum est in ratione actus essendi excludit omnem potentialitatem essendi; quæ opponitur puræ actualitati: sed indigentia alterius, à quo accipiat esse, in genere causæ efficientis, est potentialitas, imperfectio, & egentia, aut paupertas in essendo: ergo quod est actus purus in essendo eo quod excludat omnem potentialitatem in esse, necessario debet excludere hanc, per quam indiget causa efficiente, à qua sit: ergo omnis actus purus est à se, & non ab alio.

165 Minor illa sic demonstratur; quia quod ex se est contingens ad essendum, & non essendum in e ratione non potest esse à se; sed tota illa collectio est contingens ad essendum, & non essendum: ergo tota illa collectio non est à se. Maior est evidens, quia id quod est à se, non potest, sed negative debet esse à se, id est non potest à seipso causari, nec ab alio distincto à se: ergo à nullo potest expoliari esse, quia quod in esse non dependet ab alio nullo modo potest priuari esse ab illo: sed si cur ex se habet sine alterius ita ex se sine ope alterius debet illud esse conservare: sed quod neque à se, neque ab alio potest expoliari esse, necessario habet esse, ideo enim creatura non habet necessarium esse, verbi gratia Petrus, quia sicut habet esse ab alio, & sicut à se habet esse per nutritionem, tanquam à causa, applicante cibum potest à se, vel ab alio expoliari esse: ergo quod est à se non potest priuari esse, & sic non est contingens. Minor probatur, quia id quod potest definire esse est contingens: sed tota illa collectio, secundum omnia individua potest definire esse: ergo tota illa collectio est contingens in esse. Minor sic demonstratur, quia omnes leones, v. g. qui de facto dantur sunt corruptibiles ex sua natura in quo distinguuntur à cælis: sed omne quod est corruptibile potest definire esse: ergo omnes leones, qui de facto dantur possunt definire esse, quare si omnes homines vniuerentur & armis deuastarent illos, in quo casu nullum individuum, neque vagum, neque determinatum remaneret illius collectionis leonum; nam omnes qui à principio fuerunt vsque ad hos, iam non sunt, quia iam mortui sunt, & præterierunt.

166 Deinde, qui nunc existunt suppono violenter destrui ab hominibus vel ab hominibus separatis, quia ex possibili posito in actu nullum sequitur inconueniens: ergo iam tota collectio illorum individuum definiret esse, tam vage quam determinate, quoad omnia individua: ergo absolute contingens est: ergo ex se non habet esse necessario.

167 Vergetur, quia collectio illa non habet esse in individuis vagis, quia à parte rei nullum individuum datur vagum, licet quoad modum explicandi, & concipiendi, concipiatur vage individuum: sed habet esse solum in individuis determinatis, quia omne quod datur à parte rei determinatum est ratione individuationis, & existentie: sed omnia individua leonis determinata possunt mori, quia non sunt immortalia: ergo tota collectio, & species est contingens esse, & non esse, ac proinde non est necessaria.

Confirmatur, quia vt ponant aduersarij speciem necessariam vage, ponunt processum in infinitum, & ponunt ab æterno productam fuisse in aliquo individuo sine principio: sed quod producat ab æterno non facit quod habeat esse necessarium, siue vage, siue determinate: ergo friuolus est talis modus productionis. Minor sic probatur, quia species leonis non mutaret essentiam, & naturam ex eo quod produceretur ab æterno; ab ea quam haberet si produceretur in tempore; vnde ex se non aliam naturam haberet, sed potius eandem siue in tempore, siue in æternitate, aut ab æterno produceretur, quia durationes extrinsecæ non mutant essentias: atqui si modo produceretur non haberet esse necessarium ex se, neque posset produci, nisi à causa alterius nature: ergo cum ex æternitate ex se etiam non haberet esse, effici non posset nisi à causa alterius nature, præsertim quia cum de tota collectione speciei leonine vere affirmemus nullum individuum eiusmodi collectionis habere esse, nisi ab alio id conferatur extrahaturque de non esse ad esse, ac proinde nullum individuum habere esse omnino necessarium, sine dubio nullus sanæ mentis sibi persuadere poterit totam collectionem, cuius omnes partes eam habent naturam seipsam ratione suarum partium vage sumptam extraxisse de non esse ad esse, constituisseque se ipsam in rerum naturam; vnde necessario confitebitur, aliquem alium esse auctorem, tam speciei equorum quam reliquarum rerum, quæ in hoc orbe existunt, qui primo eis contulerit esse.

Vergetur amplius, quia omne quod est à se est purus actus, & non potentialis, ac proinde nihil potentialis est actu ex seipso: sed rerum generabilium species sunt entia potentialia: ergo non sunt actu ex seipsis. Maior est ex terminis nota. Minor sic probatur, omne ens carens potentialitate includit intrinsece, & essentialiter ipsum esse, & è contra id, cui esse non est essentialis est ens potentialis: species rerum generabilium non includunt essentialiter ipsum esse: ergo sunt entia potentialia. Assumptio est evidens; nam quidquid est de essentia superioris, est de essentia inferioris secundum regulam Aristotelis [dici de omni], & lumen ipsum rationis, inferiora enim constituantur omnibus prædictis formalibus intrinsecis superiorum; nam cum sublatum quolibet ex illis destruat essentia superiorum, si nequit vt hæc reperiantur constituendo inferiora, si desit aliquod prædicatum essentialis superioris. Minor illa sic probatur, quia de ratione formalis & essentiali individuum specierum generabilium non est ipsum esse & existere, alioquin necessario semper essent, & repugnetur vt de nouo generentur, & aliquando corrumpantur, quod tamè & natura ipsorum exigit, & experientia compertum est: ergo de essentia specierum generabilium non est ipsum esse, & consequenter ipsæ sunt entia potentialia: deinde natura specifica rerum generabilium ex suis intimis principiis non est essentialiter existens, vt constat non causaliter ad modum quo continet passiones ex iisdem principiis redundantes: ergo nullo modo est ex se necessario.

Consequenter est manifesta, nihil enim habet aliquam formalitatem ex se ac necessario, nisi illam includat in essentia, vel saltem ex ea necessario fluat. Antecedens quoad priorem partem constat ex dictis, quoad posteriorem euidenter demonstratur, quia quidquid continet aliud causaliter necessarium præsupponit existens saltem prius natura quam illud, quia quod actu non est, actu causare non potest, quia est aperta repugnancia, vt res concipiatur in vlla prioritate nature esse actu sine actu.

Quæst. I. Vtrum Deus demonstrari possit. 169

& existere sine existentia : ergo naturæ specificæ rerum generabilium in toto suo ambitu consideratæ absque agente extrinseco nullo modo continent virtute ipsum esse, atque adeo non sunt ex se necessario, sed indigent ope extrinseci agentis, vt producantur ab esse potentiale ad actuale.

171 Vltimo sic confirmatur, quia species hominis v. g. habet determinata prædicata essentialia, ac proinde est determinata essentia ex alio capite prædicatum essentialia, quod conuenit speciei essentialiter prædicatur de illa : sed quidquid essentialiter prædicatur de specie non solum de hoc vel de illo vage, sed determinate de hoc, & de illo, ac per consequens de omnibus indiuiduis prædicatur, vt videre est in prædicato animalis, quod conuenit huic & illi indiuiduo non vage, sed determinate, & sic de omnibus : atqui de specie prædicatur essentialiter esse à se, & necessario : ergo non vage, sed determinate conuenit huic, & illi indiuiduo, & omnibus aliis nullo dempto : sed hoc est falsum, vt experientia patet, quia quodcumque indiuiduum assignetur est corruptibile : ergo falsum est dicere, quod prædicetur essentialiter de specie determinate in prædicatis essentialibus esse à se necessario, & quod conueniat ei vage, sicut falsum esset dicere rationale esse prædicatum essentialia hominis, & solum vage, & non determinate conuenire omnibus indiuiduis in particulari : cuius ratio est, quia quidquid essentialiter conuenit speciei, & essentia determinatæ, & non vage determinatæ, & necessario debet conuenire illi, ac proinde cuiusque indiuiduo illius : sed esse à se necessario per vos est prædicatum essentialia illius determinatæ essentia : ergo non vage, sed determinate conuenit illi, & omnibus indiuiduis eiusdem : sed hoc est falsum : ergo non conuenit speciei tale prædicatum, ac proinde nullo modo species est à se sed ab alio, quod sic omnino à se determinate. Præcipue quia si adhuc ab æterno habuit esse à se, & non ab alio acceptit esse cum illa collectio indiuiduorum tota, & adæquate à se non habuerit esse (quia indiuidua, quæ nunc sunt, & sunt partes componentes illam collectionem non fuerunt ab æterno) in aliquo indiuiduo debuit habere esse à se, quia inter omne indiuiduum, & aliquod indiuiduum non est dare medium, & ideo contradictorie propositiones formantur illis terminis *omne*, & *aliquod* : sed nullum indiuiduum est, quod essentialiter sit à se, & non ab alio, alias illud indiuiduum, tum non esset huius collectionis, quia omne indiuiduum huius collectionis per vos est ab alio, quia omnia indiuidua sunt generabilia; tum quia iam illud indiuiduum esset Deus, quod negatis : ergo species in nullo indiuiduo habuit esse à se ab æterno necessario : ergo species illa nullo modo est à se necessario.

172 Vrgetur, quia si naturæ specificæ ex se ipsis essent, supposita hypothesi, quod indiuidua omnia alicuius speciei casu aliquo destruerentur adhuc natura posset ex vi sua absque ope alicuius agentis, constitui in esse per aliqua in indiuidua : sed hoc fieri nequit : ergo natura specifica non habet ex se esse existentia. Sequela maioris patet, quia id quod ex se est sublato è medio quocumque alio principio extrinseco adhuc erit, alias non ex se : sed ex illo principio habebit essendi originem. Assumptio patet, quia si omnia indiuidua alicuius speciei destruerentur, non

I. P. 10m. II.

possent aliter constitui in esse, quam per inceptiōnem vnus, vel plurium determinate indiuiduorum ; hæc autem non necessario inciperent esse ope agentis extrinseci à ratione speciei : ergo species extinctæ quoad omnia indiuidua non possent ex se constitui in esse actuali.

Quod autem non possint incipere de nouo certa, ac determinata indiuidua specierum generabilium absque agente extrinseco clarum est, quia vel esset determinata necessitas, vt hæc potius quam illa esse incipiant, aut necessitas indeterminata ad aliqua non determinata, nam cum omnia indiuidua habeant eandem naturam, & eadem principia essentialia, & æqualiter conueniat in prædicatis essentialibus, non est vnde proueniat necessitas existendi his potius quam aliis, videmus etiam singula indiuidua, quæ generantur non habere necessitatem existendi ex se ipsis, sed egere operatione saltem alterius indiuidui eiusdem speciei, quod prius habeat esse in se, & deinde illud communicet alteri, quare in nullo indiuiduo est determinata necessitas existendi à se ipso; si vero esset indeterminata necessitas cum causa naturalis, & non libera (vt est species equina aut leonina &c.) indeterminata, quia talis indeterminatio non est dominij, sed indigentia, & necessitatis producere nequeat effectum determinatum, opus esset extrinseco agente, quo necessitas naturæ specificæ, quæ indeterminata est determinaretur ad huius potius quam illius indiuidui existentiam producendam, ac per consequens ipsa natura ex se non haberet esse necessario.

Dices, argumentum procedere ex suppositio-
ne impossibili, & contraria assertioni, quæ
impugnatur, ac proinde nullius momenti
esse.

Sed contra, quia hæc non est solutio sed elu-
sio, nam ex suppositione impossibili potest argui
ad inuestigandam rationem aliquam, siue prin-
cipium formale alicuius effectus abstrahendo
à plurimis, quæ re vera insunt subiecto, vt ap-
pareat, quæ posita ponatur effectus, & quæ sublata
tollatur, vt passim contingit in Theologia, quan-
do supponimus Spiritum sanctum non procede-
re, vt de facto procedit à Patre, & à Filio simul, vt
tali suppositione impossibili deueniamus in co-
gnitionem distinctionis formalis Spiritus Sancti
à Patre, & à Filio, & sic de cæteris, nam ratio ali-
qua habet ordinem ad effectum in ordine ad plu-
res differentias temporis, vel loci; at cum ordo ad
vnam differentiam non pendeat ab ordine ad
alias ex suppositione negante ordinem ad vnam
non hoc ipso negatur habitudo ad alias : quo-
modo si quis dicat cælum moueri à se ipso; non
ineptè quis argumentabitur, si cælum à se ipso
moueretur, si quo casu per aliquod tempus quiesce-
ret, rursus à se ipso moueri inciperet, quando-
quidem motus in hoc tempore non penderet à mo-
tu in alio. Similiter cum simplex, & absoluta
necessitas ad existendum non solum respiciat hoc
vel illud tempus, sed omnia prorsus, imò rotam
æternitatem, quantumvis sit impossibile vt id quod
necesse est esse, vnquam esse desinat, tamen facta
hypothesi impossibili quod desinat, si verum est
rem ex se esse, incipiet iterum habere existentiam
à se, nam sicut ab æterno illam habuit ex se abs-
que principio extrinseco, ita facta illa hypothesi
impossibili adhuc incipere debet ex se, quod ne-
cessario admittendum est in omni re petente ex se
aliquem actum, nam si quo casu, aut impedimento
ab illo præpeditur, sublato obstaculo rursus erum-

pit, & incipit habere id quod illi ex se & non aliunde conuenit.

176 Deinde vero suppositio non est impossibilis, ut supra probauit, etenim in vniuerso est sufficiens causa corruptionis & extinctionis alicuius speciei, nam species animalium perfectorum homini inserviuntur possunt ex libera hominis voluntate extingui, vel occisione omnium indiuiduorum, vel prohibitione generationis, quod & si videatur mora liter impossibile, physice tamen fieri non repugnat.

177 Præterea vel natura ex se necessario est quoad conseruationem vel quoad inceptiōem, vel quoad vtrumque, non quoad inceptiōem, tunc enim assignandum esset aliquod indiuiduum ex fecunditate naturæ absque ope agentis externi necessario incipiens existere; hoc autem repugnat cum æternitate generationum, quam ponunt & non est vlla ratio, cur potius vnum, quam aliud ita corperit. Non quoad conseruationem, quia nulla species rerum generabilium est sibi sufficiens ad conseruationem sui absque vi, & influxu causarum superiorum, quod ostendit varietas, & inæqualitas generationum, & corruptionum pro varietate temporum, & diuersitate coniunctionum, aut oppositionis solis ac luminum reliquorum; ex quibus omnibus concluditur omnem speciem esse necessario ab alio principio extra suam collectionem, à quo à potentialitate in actum reducatur, quia quod non est à se debet esse ab alio.

178 Prima consequentia primi, ac præcipui syllogismi positi s. primum quia tota illa collectio est manifesta suppositio antecedenti, quia id quod non est à se, sed ab alio, non est ipsum esse ex se siue identice, siue essentialiter, alias si esset ipsum esse, sicut à se est possibile, à se esset actu, v. g. ideo Petrus non est suum ipsum esse ex se, quia est ab alio, & contra nos dicimus Deum esse ex se suum esse, quia à se est.

179 Sed, quod ex se non est suum esse, non est purus actus: ergo quod non est ex se non est actus purus; cum autem tota illa collectio non sit à se, sed ab alio, necesse est vt non sit actus purus. Minor illa prima eiusdem paragraphi est euidentis, quia id quod non est purum in aliqua ratione est admixtum potentialitati in illa ratione, v. g. quia homo non est purus in ratione intelligendi est admixtus potentialitati intelligendi, & quia est admixtus tali potentialitati ex se est impotentia ad intelligendum: sed omnis species aut nulla species est purus actus essendi: ergo ex se est admixta potentialitati essendi, ac proinde ex se, & à se tantum erit possibile esse, id est tantum habebit possibilitatem essendi, & sic ex se tantum erit in potentia ad essendum; vnde vt reducatur ad actum essendi necessario indiget alio extrinseco reducete, v. g. in Petro exemplum est manifestum, qui ex eo quod non sit purus actus essendi ex se tantum est in potentia ad essendum, hoc est possibilitatem essendi cum carentia existentia; quare ex se non potest habere existentiam, sed ad habendam illam indiget alio, à quo reducatur à possibilitate ad actum essendi: ergo similiter in nostro casu continget vt patet ex dictis.

180 Ex hac demonstratione constat nullam rerum generabilium speciem habere eam perfectio-

nem, qua constituatur in esse independentis ab alio, ac proinde indigere aliquo extrinseco agente, à quo dependeat in esse.

Tunc sic, vel illud est à se, vel ab alio 181 principio; si à se: ergo Deus, ac proinde habemus intentum. Si ab alio idem de eo queri potest, & ita vel deueniendum ad vnum principium à se, vel dandus processus in infinitum, quem iam reiecit.

Quod si iterum contendat non repugnare 182 processum in infinitum, sic insurgo, quia hic processus potest dari duplici suppositione, vel Atheistarum de æternitate mundi, vel secundum principia fidei, qua credimus mundum cepisse ex tempore, & in priori quidem non potuit eiusmodi principium pendere ex infinitis causis accidentaliter subordinatis, nam cum fuerit ab æterno non potuit esse posterius duratione pluribus causis sibi iugiter subordinatis succedentibus: ante æternitatem enim concipi nequit vlla successio durationis, ac proinde substantia existens, & causans ab æterno nequit à pluribus causis accidentaliter subordinatis procedere; si autem conclusio sit supposito initio rerum etiam viget ratio, nam si collectio causarum subordinatarum accidentaliter est eiusdem speciei cum principio, quod ab ipsis pendet eodem modo probabitur debere extra eam dari aliud principium extraneum ab eadem specie, quo supra ostendimus dandum esse principium extrinsecum speciebus rerum corruptibilium ad earum generationes; si vero sit diuersæ speciei, rursus interrogo de causa huius principij, pendeat ex infinitis eiusdem speciei, an diuersis, & sic in infinitum, & quoties respondebitur esse eiusdem speciei adhiberi poterunt eadem argumenta.

Si vero infinitus ille processus sit rerum speciei differentium, aut in ipso datur aliqua, que sit à se, aut nulla; si aliqua, hæc est omnium principium, & immutabile; si nulla: ergo extra eam collectionem querendum est primum principium illius, quando quidem fieri nequit vt species omnes collectionis infinite sint ab alio, & collectio habeat principium in se, & à se quin sit ab alio.

Confirmatur, quoniam collectio infinitarum 184 specierum producibilium prius natura est in potentia passiva vt sit, quam in potentia activa vt agat, nec potest transire prius ab activa in actum agendi, quam à passiva in actum essendi: nihil enim suapte vi prorumpit à potentia passiva in actum essendi, sed virtute agentis extrinseci: ergo collectio infinita specierum producibilium ab alio necessario exigit principium efficiens extra se. Antecedens per se patet, quidquid enim est producibile prius, quam actu fiat, est in potentia vt producat, nam cum duplex sit ens, scilicet actu, & potentia, auctore Philosopho lib. 2. Metaph. textu 8. lib. 1. de generatione textu 11. & alibi sæpe, omne id, quod mutationem subit, mutatur ex potentia id, in actu ens, & prius est productum, quam sit in potentia activa ad producendam rem aliam, quandoquidem inter has potentias interiacet ipsum esse existentis, quod est natura posterius potentia passiva, siue aptitudinem rei, vt ipsa sit, prius autem potentia activa vt producat aliud: ergo collectio infinitarum specierum producibilium considerata secundum se

se prius natura est in potentia passiva ut sit, quam in potentia activa, ut agat: & cum actus potentia activa supponat esse, quod in rebus producibilibus est prius actus potentia passiva ipsarum, non poterit prius constitui in actu operandi, quam sit constituta in actu essendi: Patet quoniam in essentialiter subordinatis non potest tertium esse sine secundo, neque secundum abique primo, in rebus autem producibilibus haec tria sunt essentialiter subordinata, esse, posse, operari; ideoque nihil potest constitui in actu secundo operandi, quin prius constituatur in actu primo essendi, cum autem potentia activa, & passiva respectu actus primi repugnent in eodem subiecto in ordine ad essendum cum carentia essendi, si in tota collectione infinitarum specierum praetelligitur potentia passiva, siue aptitudo ad essendum repugnat in ea ipsa dari potentiam activam ad productionem ipsius esse: ergo danda est potentia aliqua activa extra eam collectionem. Consequentia est manifesta, nam potentia passiva, ut docet Philosophus lib. 5. *Metaph. cap. 12. & lib. 3. de anima, textu 17. & lib. 2. de generatione, textu 52. & 53.* non absque habitudine ad activam; quare si in illa illa collectione est potentia passiva, ut sit, non autem activa, haec extra illam querenda est necessario.

ac pulcherrimam domum homini omni suppelle-ctili ad humanos usus necessaria ornatam, mirabili, & natura, & varietate partium admirando quodam ordine accommodatissime fabricatam, cuius pavimentum, hoc est terra, supra id, quod postulat ipsius natura ad habitationem, & procreationem multarum rerum eminentius aquis est collocatum; iam vero rectum variis sideribus mira pulchritudine fulgens, totam hanc domum illustrat, atque pulchritudinem illius ostendit, variisque motibus tum aliorum astorum, tum potissimum solis inter reliqua sidera principatum obtinentis (qui nemini-um ab his rebus inferioribus remotus esset in quarto orbe est collocatus) in causa est admiranda vicissitudinis dierum, ac noctium Hyemis, & veris, aestatis, & autumnii moderaturque, procreat, ac fouet haec omnia inferiora; ex quibus omnibus, manifeste constat macrocosmum, seu mundum magnum in ordine ad microcosmum, seu mundum paruum hominem imitum esse conditum, & fabricatum, ad ipsumque tanquam in finem proprium dirigi, & tendere.

Quod autem homo ipse omnia, quae in homine sunt ad suum finem ordinantur, sic demonstratur. 187. Animus hominis est propter nobilissimas suas operationes intellectus, & voluntatis, quibus virtutis, laudis & praemij cognitionis rerum humanarum, ac diuinarum capax est, atque adeo beatitudinis tam activa, quam contemplativa quaecunque tandem ea sit; Vnde consequens est, animum nostrum suapte natura esse propter suam beatitudinem vel huius vitae, vel etiam futurae, si quae ei naturaliter esset proposita, & multo magis propter supernaturalem, si gratia supernaturalis etiam beatitudinis conditus sit; cum vero corpore indigeat; si non ut sit, certe ut melius, accommodatiusque ad suam naturam operetur, corpori fuit vnitus in ministerium suarum operationum, quare corpus est gratia animi, & non e contrario animique perinde finis est corporis; quoniam vero ex animo, & corpore fit vnum per se genitus ex utroque fuit homo, qui tanquam suppositum propter easdem operationes proprias animi, atque adeo propter beatitudinem actiuam, & contemplatiuam conditus est.

Ex quibus satis aperte liquet, vires in corpore humano residentes, ita inter se esse affectas, ut quaedam sint propter alias, omnes tamen tandem sint propter intellectum, & voluntatem, ut operationibus suis operationes intellectus, & voluntatis, mediate, vel immediate iuuent, eisque inserviant, sola vi generante excepta, quae in propagationem individuorum conservationemque speciei ordinatur; quo fit, ut tam potentia omnes hominis, quam operationes earum sint propter finem.

Quoniam vero corpus fabricatum fuit ut vires 189 ipse postulabant, atque ut esset aptum instrumentum operationum earum ex singulis viribus, & operationibus earum demonstrandum esset, etiam minutissima quaeque in corpore humano ita esse propter finem, ut nihil amplius a sapientissimo artifice, vel effici, vel excogitari potuerit, proprio fini accommodatum; nihilque in tam multiplici fabrica humana reperiri; quod vel superfluum sit, vel diminutum, vel de quo quis dicere possit hac, vel illa ratione melius effici potuisse, quin potius si quoquomodo aliquid ab ordine rebus indito aliquando deuiat, statim viciosum, minusque

SVBSECTIO III.

Secundum principale argumentum ponitur.

185 Via omnia entia, quae sunt à parte rei sunt in ordine ad finem siue materialiter, siue formaliter; sed si non daretur causa supra totum vniuersum, quae potentissima, sapientissima, & infinita perfecta, & ubique praesens spiritualis, quae tadem ex se sit, & à qua totum vniuersum sit causatum, regatur, & gubernetur, dirigaturque omnia, ex quibus componitur mundus in proprios fines, non ordinantur omnia in fines proprios: sed huiusmodi causa est Deus: ergo datur Deus à parte rei. Maior sic probatur; nam si rem attentius pensitemus, sine dubio reperiemus mixta omnia perfecta, siue vita careant, siue viuientia sint, ordinari tanquam in finem proprium in hominem; nonne haec congeries rerum quaedam copiosissima, ac diuersissima suppellex tum ad alios usus homini necessarios, tum ad animi oblectationem à Deo preparata est? si vero admixta imperfecta, hoc est ventos, pluvias, & cetera respicias, reperies res esse omnino necessarias, tum ad procreationem eorum, quae in terra gignuntur, hominique necessariae sunt; tum etiam ad aeris temperiem, puritatem, ac salubritatem, atque ut mortales in Dei admirationem, & cognitionem excitarent. Vnde merito D. Paulus *Actorum 14.* imbrem certis quibusdam temporibus de caelo effluentem, ut testimonium certum protulit, quod homines possent in Dei veri cognitionem deuenire, [Deus inquit in praeteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & qui dem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de caelo, dans pluvias, & tempora fructifera, &c.]

186 Denique si ad reliqua corpora, quae simplicia sunt aduertamus, aperte cognoscemus non esse aliud, ut inquit Chrysostomus, tam capacissimam

que aptum, aut omnino ineptum comperitur; merito: ergo regius Propheta *Psalmo* 138. rem tantam admiratus quam non nisi infinita sapientia, atque potentia efficere potuerit, exclamans ait [mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam;] præter Aristotelem de *Partibus animarum*, & Galenum de *usu partium*, lege aureum opus Fratris Ludouici Granatenfis, quod *Symbolum fidei* appellat, ubi totam fabricam corporis humani late explicat singulorumque rationem copiose, & erudite reddit.

190 Hac eadem arte in reliquis animantibus, & plantis facile erat ostendere vires, quas cum hominibus communes habent omnes esse propter finem; ex viribus vero facile erat ostendere, totam corporum ipsorum fabricam esse etiam propter finem, maxime si fines particulares singulorum, quorum gratia propter hominem condita sunt, varique genera animalium elementaque diuersa, in quibus iuxta propriam cuiusque naturam degere debebant ante oculos haberentur; inde enim tam quam ex fine diuersæ figuræ varique instrumenta ad motum in volatilibus, animalibus terrestribus; atque in iis, quæ in aquis degunt originem habent omnia, tamen accommodatissima ad suos fines reperiuntur.

191 Prima pars minoris videlicet ea, quæ in maiori continentur esse non posse, nisi daretur causa supra totum vniuersum, quæ potentissima, &c. sic probatur, quoniam tam ea, quæ hanc finem agnoscunt, nec ordinem mediorum ad finem, quam ea, quæ licet illum possint cognoscere habent tamen operationes, quæ non subiacent directioni intellectus, ac liberi arbitrij proprii, qualia sunt ea omnia quæ enumerata sunt agere nequeunt propter finem, nisi ex directione & præordinatione causæ agentis per intellectum, & voluntatem, quæ ad id contulerit illis naturas & potentias: si ergo eiusmodi res omnes sunt atque operantur propter finem, fit ut id esse nequeat, nisi detur causa agens per intellectum, & voluntatem à qua ea ratione in suos fines dirigantur, quod ab ea esse, ac vires ad suas functiones obeundas acceperint.

192 Dices, omnia tendere in suos fines, non quia ab aliqua causa superiori dirigantur in illos, sed eo quod à suis propriis formis, ac naturis ad eos inclinantur. Sed contra, quia id non est agere propter finem: sed est tendere in aliquid, non sub ratione finis, finis namque non est, nisi comparatione causæ, quæ ipsum finem per intellectum, & voluntatem intendit mediumque aliquod illius gratia ordinat; Philosophi autem naturales & inter alios Aristoteles 2. *Physicæ*. ex ordinatissimis actionibus rerum omnium naturalium, atque ex commodatione quam maxima eorum omnium, quæ producebantur ad varios fines intellexerunt, atque asseruerunt opus naturæ esse opus intelligentiæ, quasi à causa aliqua operante per intellectum, & voluntatem res omnes naturales haberent esse & facultates, quibus in suos fines dirigerentur, eaque ratione asseruerunt naturam agere propter finem.

Deinde si ordo, & accommodatio ad finem in vna re, aut paucis tantum cerneretur, posset verisimilitudine aliqua affirmari, accidisse ut tales res ex se, se ita essent inclinatæ, eaque ratione ordinate tenderent ad ea ad quæ inclinantur, ut videantur esse, & agere propter finem: at cum videamus id non vtiunque, sed quam maxime splendere in toto vniuerso, & in singulis partibus, etiam minutissimis illius, quis sibi poterit persuadere,

tam multas, ac tam varias naturas casu esse ex se ita inclinatæ, ut videantur esse, & agere propter finem, & non potius à superiori aliqua causa cognitione prædita, quæ tam accommodatæ ad varios fines, atque ad finem totius vniuersi illis esse contulerit: Atque ut è multis vnum proferamus exemplum, quis sibi persuadeat cum in vnoquoque hemisphærio vnica stella polaris sit, aut potius vnum tantum punctum fixum, quo veluti cardine primum mobile conuertatur casu euenisse, ut vis illa mirabilis, quæ est in magnete ferrum ita efficeret, ut vnum illud punctum inter alia innumerabilia directio quærat, & indicet in toto hemisphærio, imò si ferrum perficeretur versus vnam partem magnetis, faciat illud quærere Septentrionem; si vero perficeretur versus contrariam partem, faciat illud quærere Austrum, & non potius de industria ab autore aliquo totius vniuersi id esse factum, propterea quod cognitio illius eo quod semper immotorum permaneret, necessaria esset, tum ad nauigandum, tum etiam ad alios vsus.

Fatemur quidem res omnes naturales à suis formis, ac naturis inclinatæ esse ad suos fines, & ad finem totius vniuersi: at quod contendimus, est, non potuisse tot res à suis naturis esse ita accommodatæ inclinatæ, nisi à causa aliqua superiori, communique auctore totius vniuersi per intellectum operante eas ad eos fines acceperint. Omnia namque suo ordine, dispositione, ac commodatione præclamare videntur, ipse fecit nos, & non ipsa nos.

Confirmatur, quoniam talis causa ordinans omnia in suos fines, non potuit esse aliquid inferiorum corporum, eo quod præter hominem nullam intellectu polleat, & homo id præstare non possit, neque item potest esse aliquid celestium corporum, tum quod iuxta veriorum sententiam nullum sit intellectu præditum, tum vel maxime quoniam neque omnia simul sumpta gignere poterunt hominem, aut aliud animal perfectum, nedum de nihilo illa producere, imò potentissimum eorum, nempe sol non solum sine influxu, & auxilio cæterorum, sed etiam sine pluvia, & aliis causis inferioribus producere non valet segetes, & moderati hæc inferiora nedum de nihilo tam illa, quam superiora producere, ut tandem ordo, ac dispositio admirabilis totius vniuersi, accommodatioque tanta rerum omnium ad suos fines ab ipso proficisci possit, ne quis enim intendens in cælum, vidensque Solem, Lunam ac cætera astra, quæ in ministerium cunctis gentibus condidit Deus, errore deceptus crederet aliquod eorum, aut corporum celestium primam ac supremam esse causam, ita enim Deus vim agendi illis distribuit, eaque disposuit atque à se inuicem ad effectum productionis, inferiorumque moderationem dependentia effinxit, ut nullus, qui rem attente consideret, suspicari posset aliquod eorum esse primam causam, sed facile intelligeret aliud quippiam esse nobilitate ea omnia longe excellens, à quo cuncta haberent esse, atque in suos fines tam accommodatè dirigerentur ut vnitæ, atque ordo totius vniuersi aperte testantur.

Declaratur amplius dicta, quia quemadmodum 193 ex creaturis quatenus pendunt à causa efficiente aperte & euidenter ostenditur esse in terram naturam causam primam efficientem immobilem, ita quoque ex ipsismet quatenus sunt propter finem demonstratur esse vltimum finem, propter quem sunt fines intermedij, nam fines intermedij non appetuntur absolute propter se, sed in ordine ad posteriores

Quæst. I. Vtrum Deus demonstrari possit. 173

steriores & consequenter vis trahendi, ac determinandi causam efficientem a dagendum sumenda est à fine, propter se, & non propter alium volitum; ut expresse docuit Aristoteles *lib. 2. Metaph. text. 8.* ubi sic ait ipsum, cuius causa finis tale autem est, quod non est alterius gratia, sed eius causa cetera; quare si tale erit ultimum, non erit infinitum quod si nihil tale, non erit ipsum huius causa sed qui faciunt infinitum, later eos, quod boni naturam auferunt. Ex quibus constat de ratione finis, cuius gratia cetera sunt; esse ut sit ultimus; quod cum ratione infiniti vicissitudinis finiunt, non coheret, hoc enim significat Aristoteles, cum ait, eos; qui constituunt infinitum, hoc est progressum infinitum in finibus tollere rationem boni, hoc est finis; cum autem non debeat tolli ratio boni; non debet etiam poni infinitus progressus finium; alias nullum agens operaretur propter fines; quia non potest operari propter infinitos fines; & primo probatur hoc in agente formaliter propter finem; nam huiusmodi agens necessario tendit in aliquem ultimum finem in executione qui sit primus in intentione, ut constat ex Philosopho *2. lib. Metaph. text. 9.* ubi ex infinitudine finium arguit his verbis nec esset intellectus in huiusmodi, aliter enim causa agit quicunque intellectum habet, hoc namque terminus est, finis vero ipse terminus. Loquitur de proprio modo agendi propter finem formaliter nimirum, & ex intentione, qui conuenit solis, & omnibus habentibus intellectum, & in actione propter infinitos fines, censet non posse interuenire opus intellectus; atque adeo neque proprium modum agenda formaliter propter finem. Præterea ratione sic ostenditur, quia effectus determinatus non potest provenire à causa indeterminata; sed agens voluntarium quod solum formaliter agit propter finem ante intentionem alicuius certi obiecti est causa indeterminata ad multiplices effectus, & ad diuersa media pro varietate finium eligenda, & exquenda; ergo ut ex electione procedat ad executionem huius potius operis, quam illius, determinati debet ab appetitione finis certi; ac determinati; patet consequentia: quoniam quidquid appetitur, aut appetitur propter se, aut propter aliud, si propter se absque ulla omnino relatione cæterorum ad se iam datur finis ultimus.

196 Si propter aliud, rursus interrogo de hoc ipso; quod si appetitur propter se, habetur finis ultimus; si propter aliud, & aliud in infinitum, non erit obiectum determinate mouens voluntatem; quandoquidem nullum ex infinita multitudine determinate mouet propter se; ergo non est determinata tractio voluntatis & consequenter non erit operatio.

197 Præterea, quia omne volitum propter aliud reducit ad volitum propter se: sed si sit infinita progressio in finibus, tota ipsorum collectio est propter aliud; nec resoluitur in finem ultimum, qui sit volitus propter se: repugnat ergo huiusmodi progressio in finibus. Maior propositio est evidens ex terminis; nam volitum propter aliud dicit rationem medij, quod non appetitur ratione propriæ bonitatis, ut in se est absque ordine ad aliud, sed quatenus est utilis ad assequendam bonitatem alterius, quæ appetitur propter se, atque adeo sublata intentione finis ultimi qui appetitur propter se dissolvitur ratio finium mediorum, qui appetuntur propter illum; nam sicut causæ efficientes mediarum non mouent, nisi mota à prima, ita fines medij non trahunt absolute propter se, sed propter bonitatem ultimi; quare sicut absque cau-

sa prima efficiente, ut iam dixi cessat actio mediarum, ita absque causalitate finis ultimi cessare debet causalitas mediorum.

Quod autem detur etiam repugnantia in progressu infinito finium in agentibus propter finem materialiter: patet euidenter, quia natura nihil agit frustra, neque habet propensionem ad impossibile, neque ut in pluribus, & multominus semper frustratur suo fine: hæc vero ita euenirent, si agens naturale operaretur materialiter propter infinitos fines essentialiter subordinatos; non ergo ita potest agere. Maior propositio est evidens; quoniam si quodvis illorum admittatur, dissolvitur natura vniuersi, & omnia à casu sursum, ac deorsum vergent, cuius oppositum experimur. Præterea, natura non aliter inclinatur ad finem, quam per formam sibi propriam, & naturalem; hæc autem non propendet naturaliter ad eam, quæ subiecto disconuenientia; vel impossibilia sunt; & quod in pluribus accidit, id est magis congruis; & naturale subiecto, ideoque fieri nequit, ut agentia naturalia ut plurimum, aut semper suo fine frustrentur. Ea vero omnia sequi constat; quoniam infinitorum finium acquisitio est impossibilis; nam vel acquiri deberent simul in eodem temporis momento, vel succedere alij post alios: hoc secundum repugnat, quoniam accipienti alias, atque alias partes infiniti semper restant aliæ iuxta doctrinam Aristotelis *lib. 3. Phys. text. 63.* deficientis id esse infinitum, cuius secundum quantitatem accipientibus semper aliquid accipere est extra, & ita nunquam agens perueniret ad omnium assequutionem; ob quam causam idem Philosophus *1. Ethicor. cap. 2.* docet, vanum & inanem esse appetitum, si infinitus fiat progressus in infinitum: illud vero primum repugnare constat, quoniam infiniti fines non nisi infinitis actionibus acquiri possunt; at naturales potentie ut tradit Philosophus in *lib. 1. de celo. cap. 11.* & ratio, atque experientia docet, habent terminum suæ virtutis, & actiuitatis; neque infinitos simul effectus ex se effundere possunt, quare nunquam natura perueniret ad infinitorum finium assequutionem, & consequenter neque operari propter illos potest. Quam rationem attigit Aristoteles *lib. 2. Metaphys. text. 8.* cum de hac ipsa re disputans: [Nullus (inquit) inciperet agere quicquam, si non esset peruenturus ad finem; supponens fieri non posse, ut agens propter infinitos fines eos assequatur. Respondebit aliquis hoc secundum minime sequi; quandoquidem fieri potest, ut infinitæ causæ simul operentur vnaqueque propter finem proximum, & omnium collectio propter infinitos; quo casu effectus non excedent vim actiui agentium; nam sicut effectus sunt infiniti, ita quoque agentia. Verum hæc solutio satis impugnat ex superioribus; nam ut agentia infinita operentur propter fines infinitos, debent esse subordinata inter se quemadmodum fines; hoc autem probatum est fieri non posse, ut infiniti fines eodem modo intenduntur, & obtineantur; nam ut finis posterioris agentis sit etiam finis prioris, opus est, ut hoc illud moueat, & applicat ad agendum, & sic in reliquis omnibus, quare cum probatum fuerit, hoc repugnare, illud quoque repugnare censendum est, quin verò etiam si ex parte potentie actiue non repugnaret, tamen ex propria ratione cauendi ipsius finis repugnat; nam cum causam materialiter operans propter finem dirigatur ad ipsum à causa superiori illum intendente, si hæc non poterit intendere infinitos, nec illa poterit agere propter illos.

199 Dices, quamvis non detur ullus finis ultimus in progressu infinitorum finium, totam collectionem esse propter se, quatenus non est propter aliquem finem extremum, & nullus ex ea in particulari est, qui non habeat intra ipsam finem, cuius gratia appetatur.

200 Sed contra, & hæc solutio facile impugnetur; quoniam multarum rerum collectio non aliter potest dici appeti præter se, quam si singulae partes apponantur propter se, vel omnes propter unam, quæ non eligatur propter aliquod bonum extra collectionem, sed impossibile est ex infinitis finibus subordinatis singulos appeti propter se, hoc enim ipso iam non erunt subordinati, nec alij propter alios voliti, tanquam fines medij, sed omnes in suo genere ultimi, non etiam omnes propter unum ex eadem multitudine; hic enim erit simpliciter ultimus, atque adeo destruitur etiam progressio in infinitum, in qua non est pervenire ad ultimum, nec ratio quæ redditur est idonea, imo contradictionem involvit; nam si nullus omnino finis est ex ea multitudine, qui non sit medius, repugnat prorsus, ut omnes habeant finem intra ipsam; ex hoc enim sequitur eos simul esse, & non esse propter finem externum, esse quidem quoniam de ratione finis medij est, ut respiciat alium finem: sed ex responsione, imo ex suppositione facta fines omnes eius multitudinis infinitæ sunt medij, quoniam nullus est qui non sit propter alium: ergo omnes ac singuli respicere ultimo debent finem aliquem, non medium extrinsecum, non esse vero; quia nullus omnino est, qui ut in solutione dicitur, non habeat finem intra ipsam absque eo quod ad finem extrinsecum referatur; quod fieri nequit nisi vel detur circulus in eodem genere causæ, vel intra eam multitudinem sit finis ultimus.

201 Ex dictis elucet unde sumenda sit repugnantia finium sub infinita serie subordinatorum, absolute enim non est vel ex repugnantia fundata in impossibilitate apprehensionis, neque ex difficultate agendi propter plures fines, non primus; nam Deum operari propter infinitos fines essentialiter subordinatos non repugnare omnino falsum est non ex defectu cognitionis, aut potentia, quoniam infinita cognoscit, & si infinitum actu aliunde non repugnet, non deest illi potentia, nec ex multitudine effectum agendo defatigatur, prima quidem ratio vim habet in creatura intellectuali, si agere debet formaliter propter finem; nam ut ageret propter infinitos fines deberet naturali facultate eos omnes intelligere, vel simul, vel successive, utrumque vero est impossibile, prius propter finitudinem virtutis intellectus naturalis; posterius propter rationem infiniti, quod repugnat successive absolui. Ut autem creatura libera operetur ex intentione finium infinitorum, opus est ut antequam accedat ad executionem medij propter finem primam via executionis illum intendat; cum vero eum intendere nequeat in ratione finis medij, nisi præhabita intentione omnium sequentium, si hi nequeunt absolui successive, nunquam devenitur ad intentionem primi, & consequenter neque ad executionem. Est tamen repugnantia, quia non perveniretur ad terminum operandi; nam licet non repugnet interdum frustrari naturam à suo fine, impossibile tamen est, ut semper frustretur, ut cum finem intendat per se, cuius assequutio sit impossibilis, consequutio autem finium infinitorum essentialiter subordinatorum est impossibilis, & ita ex hac radice sumitur repugnantia, præcipua tamen est, quam explicui sumpta ex

ratione finis medij, quæ necessario includit habitudinem ad ultimum, hoc autem coherere nequit cum ratione infiniti.

Ex his duabus rationibus principalibus eundem denter liquet, neque in causis efficientibus, neque in finalibus dari posse progressum in infinitum, atque adeo dandam causam primam efficientem, à qua ceteræ pendeant, & finalem, quam ceteræ ut suum bonum perfectum respiciant; nunc addendum est has duas causas, sed potius has duas cauſandi rationes; primas in unam, eandemque rem convenire, quæ sit causa prima finalis, atque efficiens, quod probat D. Thomas *quæst. 1. de malo, artic. 1.* hac ratione, primum movens debet esse immobile; atqui efficiens movetur à fine, siue ab appetibili: ergo primum efficiens, & primum bonum universale, quod sit causa finalis omnium idem omnino erit.

Dices primum movens debere esse immobile in genere causæ efficientis, cum quo non repugnat, ut moveatur ab alio in ratione finis, quemadmodum in materiali causa per se patet; nam materia prima, est non dependeat ab alia causa materiali, pendet tamen ab efficienti, ac finali. Sed contra, quia diversa ratio est in uno, atque altero; nam finis, ac efficiens nullo modo participant rationem cauſandi materialiter, & ideo non repugnat ut materia prima pendeat ab eis; finis autem, ut obiectum appetibile respectu voluntatis quam movet ad appetitionem sui habet modum causæ efficientis; nam primam appetitionem sui causat, etiam ut obiectum finis per modum causæ efficientis, ideoque Philosophus *libro 3. de anima, text. 18.* querens primum principium immobile actionum humanarum recurrit ad obiectum, quod immobile in se inchoat, motionem per notitiam, & appetitionem sui; ex quo de mente illius sequitur id, quod movetur ab extrinseco obiecto, non esse primum movens immobile, & proinde tollitur ratio causæ primæ efficientis, si moveatur à fine extrinseco.

Tandem sic demonstratur hoc; quia quicquid non est propter aliquem finem est finis ultimus; repugnat autem primam causam efficientem esse propter finem: ergo ipsa est finis ultimus. Maior propositio est evidens quoniam res omnis aut est finis, aut propter finem.

Dices, hoc principium non esse certum; quoniam ad rationem finis non sufficit negatio relationis ad alium finem, sed præterea requiritur ut ad ipsum cetera referantur; propterea enim Philosophus *lib. 1. Ethic. cap. 2.* finem ultimum definiuit, id ad quod cetera referuntur, ipsum vero ad nullum alium finem dirigitur, ideoque fieri posse ut res aliqua nec sit ad finem, nec habeat rationem ultimi finis.

Sed contra manifeste, quia principium illud certissimum est; nam quicquid ad aliud non refertur est perfectum, & summum bonum; nam si esset bonum inferioris ordinis, absque dubio ad summum tanquam ad finem refereretur; quod autem est optimum, ac summum bonum, reliquorum finis est, & ita recte concluditur, id quod non est ad finem ipsum esse finem ultimum ceterorum.

Non posse vero causam primam efficientem esse propter finem, constat etiam ex ipsis terminis; nam quod est propter finem, causam quoque efficientem habet: ergo ipsa non est finis, quia prima sit propter finem, hoc enim ipso non erit prima, quoniam erit effectus alterius causæ efficientis; at prima causa ita est causa, ut non possit esse

Quaest. I. Vtrum Deus demonstrari possit. 175

esse effectus in eodem genere: ergo certum, & euidens est esse nomen aliquod diuinum quod sit ens à se primum & immobile perfectum, & alterius boni minime egens qui Deus dicitur.

207 Quod autem quod habet causam finalem, habeat etiam efficientem, sic patet; quia causa finalis immediate non producit suum effectum, sed mediate, hoc est mouendo causam efficientem ut producat illum; unde inter causam finalem, & effectum necessario mediat causa efficiens, quae mota à fine ad producendum effectum causae finalis producit illum, v. g. sanitas non producit positionem amarum immediate, neque cisionem venae & alia medicamenta, quae sunt effectus sanitatis, sed potius mediante medico, & reliquis artificibus sanitatis, quia sanitas mouet medicum, & medicus motus à sanitate producit tales effectus, quare euidenter concluditur effectum causae finalis non posse solum habere esse à fine, sed etiam à causa efficiente, & ex eo quod cognoscimus habere causam finalem, necessario debemus cognoscere habere causam efficientem.

SVBSECTIO IV.

Tertium argumentum principale ponitur.

208 Hoc argumentum desumitur ex mirabili fabrica vniuersi, ex ordine, & pulchritudine ipsius, quae adeo aperte, ac manifeste Deum esse demonstrant vt merito Regius Propheta insipientem eum appellauerit, qui oculis vsurpans clare opera haec omnia caelo; terraque compacta & negauerit, Deum esse; ratione cuius Tullius 2. de natura Deor. [quid (inquit) potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum caelum suspeximus, caelestiaque contemplati sumus, terrestria lustrauimus, quam aliquod esse nomen praestantissimum, quo haec regantur,] & in libro de diuinatione, [esse (inquit) praestantem aliquam, aeternamque naturam & eam suspiciendam, adorandamque hominum generi pulchritudo mundi, ordoque rerum caelestium cogit consueti.] Nam si primo videres horologium, qualia nunc habemus, multis in paribus magnitudine, rotis, ferris instructum quae nexa inter se geminis ponderibus omnes conuertuntur, aut quod opus mirabilius, ac iucundius visu, si sphaeram ab Archimede scientissimo mirabilium rerum machinatore, naturaeque felicissimo imitatore conspiceres, caelum orbium numero ac forma sidera, lumine, ac motu; mundumque omnem à caduca materia fictum occulto motionis, ac volubilitatis principio referebat; nonne optares, atque studes, nosse diligenter quauis, quis impetus; quae machina, paruum illum mundum veslaret, ac scieret? unde principium motus duceretur? quae manus artifex tot res tam varias, tam sapienter in exiguum globum inclusisset, vt animosus poeta Claudianus asserat, primum in admirationem rapuisse, deinceps in risum fecisse prorumpere, Iouem, quem antiquitas vt summum Deorum colebat, autem verba Claudiani auribus perhibere.

*Iupiter in paruo cum cerneret Aethera vitro,
Risit, & ad superos talia dicta dedit:
Hiccine mortalis progressa potentia cura?
Iam meus in fragili luditur orbe labor,
Iura Poli, rerumque fidem, legesque Deorum,
Ecce Siracusus transtulit arte senex,
Inclusus variis famulatur spiritibus astris.*

*Et vniuersi certis moribus orget opus.
Percurrit proprium, mentitus signifer annum,
Et simulata nono Cinthia mense redit.
Iamque suum voluens audax industria mundum
Gaudet, & humana sidera mente regit.*

Nonne tandem ratiocinando conficeres argumentatione necessaria mentem sapientissimi aliquis architecti, tam mirabilis operis inuentricem extitisse, in quo tarditate, ac celeritate dissimillimos motus reget vna conuersio? quod faceret in sphaera perexigua, non potiori iure facies in mundo, vbi non humana ficti orbes arte vertuntur, sed diuina non plumbeis ponderibus, sed naturae momentis suas in sedes omnia deferuntur, non aerugine, non vsu, non vetustate caeli rotae contabescunt, & consumuntur, sed ex eo die, quo sunt factae mouerique coepit, nequaquam variatae in hunc vsque diem seruantur incolumes. [Quid contra leges (inquit Arnobius) principaliter institutas, aut sensu, aut passa est rerum ipsa, quae dicitur, appellaturque natura? Numquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata sunt, ex quibus res omnes consensum est esse concretas? Numquid machinae huius, & mollis, qua vniuersi regimur, & continemur inclusi, parte est in aliqua relaxata, aut dissoluta constructio? Numquid vertigo haec mundi primigenij motus moderamen excedens, aut tardius reperi, aut praecipiti coepit volubilitate raptari? Numquid ab occiduis partibus attollere se alitra, atque in ortus fieri signorum coepit est inclinatio? Numquid ipse siderum sol princeps, cuius omnia luce vestiuntur atque animantur calore, exarsit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis soliti temperamenta corrumpit? Numquid luna desinit redintegrare seipsam, atque in veteres formas nouellarum semper restitutione traducere? Numquid frigora, numquid calores, numquid tepores medij inaequalium temporum confusionibus occiderunt? Numquid longos habere dies bruma, & reuocare tardissimas lucis nox coepit aestatis? Numquid suas animas expirauerunt venti, è mortuisque flaminibus neque caelum coarctatur in nubila, nec madidari ex imbribus aetna succedunt? Nonne ex iis omnibus inferes indagatrice mente tanti operis authorem, & conservatorem esse videlicet aliquem, eumque non esse posse, nisi diuinum.

Quod etiam manifeste demonstrat id, quod optime notauit P. Hurtado, videlicet quod terreus orbis, quia gravitate superat aequum petit sub illo esse, & aqua petit enatare terrae quod vtriusque gravitate firmatur. Grauiora enim corpora sibi vendicant locum angustiorum; sicut ampliosem leuia vt aqua, aerque testantur, aer subterraneis carceribus victus eos effringit, horridi fragore tantum angustiarum impatiens euolans ad ampliosem regionem per cuius planiciem libere diuagatur effusus. Deinde quos efficit motus terrae; quam coeuit deiectis superbis Regum aulicis adificiis Babylonicis muris labefactis, adaequatis solo Pyramidibus Aegyptiorum: flumina praecipitantia frangari non possunt, nec diu cohiberi repagulis obiectis, quae rapiunt & ad ripas allidunt, vt regionem aeri inferiorem reperant, quo innata gravitate pelluntur; terra elementorum grauissimum, & humillimum, quam aere attollitur in aera, qua violentia tenetur? Quare fulcris sustentatur, quibus fundamentis domus innixa, ne habitatores subito viuos conspeliat certa ruina?

Haec loca ex sua natura sibi vendicare elementa ipsa clarissime testificant: ediscere mihi obsecro

te, cuius virtute aquæ in alueos confluxere ac deferta sublimi sed ex extrema terræ superficie se depressere ad imas terrarum cavitates; seque terræ inuicem subiecere? Terraque à quo iure illi subiugatur [caput extulit vndis?] [quis conclusit ostiis mare?] quis carceres statuit nullo pariete, nisi exiguus arenulis, cuius terminos præterire non potest? quis domuit aquam? quis terram extulit? aqua vitro non se subiecit, neque extulit se terra: nam illarum particule cum digladiantur, propria loca capessunt superiorem aqua, terra inferiorem; tota igitur elementalis machina, cum alia comparata cur non vincit hostem debiliorem? cur non subiugat? ergo aqua alias recognoscit vires, quibus comprimitur, & de propria sede detruditur.

212 Cuius hæc virtus? aliorum inquit; at astra cur inuertent naturæ leges? cur eadem virtute astrarum globulus terreus non enat aquis, sed mergitur? Tam minutula corpora non possunt astra e loco mouere, & possunt tam ingentium machinarum leges violare? vires infringere, naturalem ordinem diuertere? ò demens, qui ex huius horologii ordinatissimi cymbali tactu non audis creatorem ipsius, ex ipsius ordine, & pulchritudine non vides, Numinis imperio totum hoc opus mirabiliter gubernari, terram ab aquis immunem, vt homo inhabitaret, eamque coleret, & administraret, vt Dei administraret, & seruus, cui pareret, & cultum deferret. Ecce quam apte cælorum quasi notarum volubilitate mentem vehunt machinamenta ad euidenter cognoscendum, & vt alter loquitur, quasi ad palpandum.

213 Sed iam alia pulchriori similitudine vtamur ad pertinacium Atheistarum mentes conuincendas, qua vsum fuisse Aristotelem testatur Cicero ad simile intentum probandum his verbis: [Præclare ergo Aristoteles si essent (inquit) qui sub terra semper habitassent bonis, & illustribus domiciliis, quæ essent ornata signis, atque picturis, instructaque rebus his omnibus, quibus abundantij, qui beati putantur, nec tamen exissent vnquam supra terram, accepissent autem fama, & auditione, esse quoddam Numen & vim Deorum. Deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis sedibus euadere in hæc loca, quæ nos incolimus, atque exire potuissent, cum repente terram, & maria, cælumque vidissent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognouissent, adspexissentque solem, cuiusque magnitudinem, pulchritudinemque; tum etiam efficientiam cognouissent, quod is diem efficeret, toto cælo luce diffusa: cum autem terras nox opacasset, tum cælum totum cernerent astris distinctum & ornatum, lunæque luminum varietatem, tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus, & occasus, atque in omni æternitate ratos, immutabilesque cursus; hæc cum viderent, profecto esse Deum, & hæc tanta opera Dei esse arbitrarentur; atque hæc quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantæ quondam eruptione Æthærorum ignium finitimas regiones obscurauisse dicuntur, vt per bidduum nemo hominem agnosceret; cum autem tertio die sol illuxisset; tunc vt reuixisset sibi viderentur; hoc si idem ex æternis tenebris contingeret, vt subito lucem adspiceremus, quænam species cæli videretur? sed assidue quotidiana, & consuetudine oculorum assuescunt animi, neque admittunt, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident; proinde quasi nouitas nos magis, quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos cæli motus, tam ratos aliorum ordines, tamque omnia

inte se connexa, & apra viderit, neget in his vllam esse rationem eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio geratur nullo consilio assequi possumus; an cum machinatione quadam moueri aliquid videmus, vt sphæram, vt horas, vt alia permuta, non dubitamus quin illa opera sint rationis; cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moueri, vertique videamus, constantissime consistentem, vicissitudines anniuersarias cum summa salute, & conseruatione rerum omnium dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam, diuinaque; ratione licet enim iam remota subtilitate disputandi oculis quodammodo contempleri pulchritudinem rerum earum, quas diuina prouidentia dicimus constitutas: hic tantus cæli ornatus ex corporibus huc, & illuc casu, & temere concurrentibus potuisse effici, cuius sano videtur potestati vero alia qua natura mentis, & rationis expers hæc efficere potuit, quæ non modo vt fieret ratione egerunt, sed intelligi qualia sint sine summa ratione non possunt? Nec vero hæc solum admirabilia, sed nihil maius, quam quod ita stabilis est mundus, atque ita coheret ad permanendum, vt nihil ne excogitari quidem possit aptius. Sic ille lib. 2. de donat. Deorum. Nam si Microchusmon hunc mundum nimirum angustum, atque breuem asseris prudentia administratū, nihilque in eo situm, ac collocatum esse, quod casu atque fortuna gestū sit maxima hæc mundialis machina te tanto illustrior, admirabilior, quanto maior casu constituitur sine consilio administratur? gubernatur abique prudentia; certe vociferatur, & clamat vniuersus orbis, prædicatque non vocibus, sed ad speciem suo Deum creatorem, & moderatorem, inquit Chrylosmus, ponderans verba illa Psal. 18. [cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.] his verbis: [quomodo enarrant dic mihi, vocem non habent, os non possident, illis nō est lingua; quomodo igitur narrant? per ipsum aspectum; cum enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam per tantum corporis permeare tanquam vocem audiens, & ad aspectum dicens, adores eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit: tacet cælum, sed ipse aspectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens; hic enim sensus à natura est illo certior, & manifestior; si enim per libros docuisset, & literas, linguarum quidem peritus scripta didicisset, nesciens vero nihil inde adiutus abiisset, si quis alius non dixisset & diues quidem librum emisset, pauper autem emere non potuisset.

Rursum vocem quidem illam per literas significatam sciens, intus positam nosset, Scythæ vero, Barbarus, & Indus, & Aegyptius, & omnes lingua carentes illa nihil docti abiissent, hoc autem de cælo discere datur; sed Scythæ, & Barbarus, & Indus, & Aegyptius, & omnis homo per terram vadens hanc vocem audiet, non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram, visibilibus autem participatio eadem, neque differens, sicut linguarum in hunc pariter librum & idiota, & sapiens intueri poterunt, & pauper, & diues, & quocumque quis veneris, in cælum respiciens, sufficientem accipiet doctrinam ex aspectu; quod quidem, & ipse Propheta innuens, quam vocem creatura Barbaris emittit, & Græcis, & omnibus vniuersaliter hominibus sic intelligi facilem dicebat, non sunt loquaces eorum; hoc est non est genus, neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non possit.

Quod vt clarius pateat nobis fingamus mentem 214 media

Quaest. I. Vtrum Deum esse dem. possit. 177

media, planicie camporum magnifice structam regiam, qualem Claudianus in Epitalamio de nuptiis Honorij, & Mariae fuisse domum Veneris his elegantibus versibus descripsit.

Excludit senium lupo procul arvia dire.

Permutant radios sylvaque obstante virescunt,

Lemnii hac etiam gemmis exruxit, & auro,

Admiscens arietis pretio, granibusq; smaragdis,

Suppositis cessas Hyacinthi rupe columnas,

Vergillo paries, & laspide lubrica surgunt,

Limina, de spectu que solo calcatur Achaes.

In medio glevis redolentibus area diues,

Præbet odoratas menses hic mitis Amomi,

Hic Casia maura seges, Panchæaque turgent,

Sinnama nec siccis frondescent viminalia Cocco,

Tarda que sudanti prorumpunt balsama succo.

Vel si maius vitis colorum lineamentis, in mentis tabulis depinge palatium hoc, quale his verbis Ovidius Regiam solis domum eleganter descripsit.

Regia solis erat sublimibus alta columnis,

Clara micante auro, flammæque imitante

pyropo.

Cuius ebur nitidum fastigia summa regit,

Argenti bifores radiabant lumine valva.

Materia superabat opus, nam Mulciber illic

Æquora calerat medias cingentia terras,

Terrarumque orbem, columque quod immi-

net orbi,

Ceruleos habet unda Deos Tritonæ canorum,

Proteaque ambiguum Balanarumq; prementem,

Ægeon suis immania terga lacertis,

Doridaque & natas, quarum pars nare videtur,

Paris in mole sedens virides siccare capillos,

Pisce vehi quædam: facies non omnibus una est,

Nec diuersatamen, qualem decet esse fororum.

Terra viros, vrbisque gerit, sylvasque fera, q;

Fluminaque, & nimphas, & cætera Numina

ruris.

Hæc super imposita est cæli fulgentis imago,

Signaque sex foribus dextris totidemque si-

nistris.

Hancque magnificam domum auro argenteq; pavimentatam erectis vndique parietibus cœlum versus sese attollentibus, quadratis non è cristallo, neque ex smaragdo, sed ex fulgentibus, ac micantibus carbunculis, & adamantibus exornatam, lapidibus cœtum saphyrum, omni- que ornatu gemmarum illustre splendendum vndique ac radians flammeo fulgore tenebras depel- lens possidentem, & continentem, in cuius medi- tulio mira voluptatis oblectamento oculis vsur- pes hortos artificiosissimos, vbi blandiatur sen- sibus, hic viridicata sylva minorum ferarum & animi liberarum plena, illic pratum floribus va- riis, ac bene olentibus depictum, alibi pomarium arboribus in quincuncem dispositis constum, & arbores maturis fructibus onustæ, vbi laurus, buxus, hederæ, myrtus mille formis animan- tium nauium, castellorum, & arcium, aliarumque rerum, vel naturæ, vel arte factatum, tum puta- tione, tum traductione finguntur, vbi conuestiti parietes opere topiario, concameratæ pergulæ circumductæ sepes, vel attonsis, vel adductis ar- buscularum ramulis frondibusque visuntur, vbi vaga seminibus vva gignitur, oculos etiam ar- borum viridantium, & multis partibus quam sunt hæc nostre pulchriorum litorumque fœ- ctum ramos onerantium, fœctum inquam spe- ciosissimorum, & figuratum venustissimarum, quin & vitium populos altas maritantium, & in

I. P. tom. II.

his vuarum purpure certantium, & tot planta- riorum, florum quibus quasi latissimis coloribus humus depingitur, & gemmeis honorib⁹ corona- tur, aspectus voluptate multa pascit. Visuntur ibi ambulacra rosarum, sepibus vtrinque munita, hinc purpureæ candidæq; rosæ ramulo ex eodem prodeuntes, visuntur frigida, arque vmbrosa ca- uernæ, vocem multiplicatam referentes, rivuli gelidarum aquarum artificio mirabili per ocul- tissimos tubos, vel in summum collis iugum erumpere, vel in organorum musicorum fistulis sonum edere, vel in autum fictatū gutture cantum æmulari, vel è lapideo cratere per sifunculos æneos impellente spiritu, salientes in sublime pellucidi, ac murmurantis fontis blanditias imi- tari; toraque viridantia illa perennium rivulo- rum cursibus recubibus, ac meandris irrigantur, quorum aquulæ vitro pellucidiores ad vmbili- cos, aliosque versicorales lapillos mollior allisæ fractæque dulcissime strepitare videantur.

Præterea piscinæ ludentibus piscibus caueæ garrientibus auculis refertæ, quæ tam diuersis, & picturatis pennis visum, liquidissimis canti- bus, quos tenui gutture meditantur, auditionem mirabiliter recreant, lenibusque auris perstrictæ arborum comæ, placidam, suauemque mu- rationem edunt, nares odoribus ambrosiis, quos essant aromata flores, & herbæ perfundunt gustui suauitatem à saporibus gratissimis oble- ctatio carpatur, ac tandem nihil illi reperitur, quod amorem suum non conciliet, quod in ad- imitationem non rapiat. Tandem omnia ea arte connexa vt irrequieta vertigine circumacta sin- gula suum teneant locum, neque eius palatii in- habitatores motum sentiant, nisi diligenter at- tendant, & intendant animum haurientem cum admiratione voluptatem ex accords concordia motuum.

Si ergo tibi persuadere contenderem, Aulam hanc regiam, domum hanc magnifice constru- ctam miris oblectationum fluminibus redundan- tem nullo auctore, nulla ratione, neque concilio factam, aut artis regulis fabricatam, sed casu, ac fortuna confectam, certe iute quidem optimo ludibrium tibi deberem tuumque ritum suffi- cientem excitarem, neque insanum, ac secutien- tem mente captum iudicares; mihi que eluden- do in hæc prudentia plena verba prorumpres, prudens casus, qui tantam pulchritudinem oculis hominum parat masticam, ad arbores varie- tatem, ad flores admirationem, denique ad cuncti operis prospectionem excitat mirabiliter.

Si igitur tam paruum opus sapientissimum creatorem tibi manifeste demonstrat, erige ani- mum, & oculos in vniuersum orbem conice; circumspice hoc magnum magni Principis Pa- latium, oculis lastra, illustrem illustris machi- nam Architecti, qua constitui arte, quo artificio ædificari mundum hanc videat, quæ mollitio, quæ ferramenta, qui vectes, quæ machinæ, qui ministri, tanti funis fuerunt? quemadmodum autem obedire & parere voluntati Architecti aër, ignis, aqua, terra, potuerunt; cuius qui- dem administratio nihil habet in se, quod repre- hendi possit, quod amputari; doceat ergo ali- quis potuisse melius, sed nemo vnquam docebit, & si quis corrigere aliquid vult, aut deterius faci- ciet, aut id quod fieri non potuit, desiderabit. Quod si omnes mundi partes ita constitutæ sunt, vt neque ad vsum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores, videamus vtrum ea fora-

Z tuita

tuita sint, an eo statu, quo coherere nullo modo poterint, nisi sensu moderante, diuinaque providentia; si ergo meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta reperiuntur, nec ars efficit quicquam sine ratione, nec natura quidem rationis expers est habenda; qui igitur conuenit signum, aut tabulam pictam cum adspexeris scire adhibitam esse artem; cumque procul cursum nauigij videris, non dubitare quin id ratione, atque arte moueatur, aut cum solarium, vel descriptum, vel ex aqua contemplare, intelligere, declarari horas arte, non casu; mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilij, & rationis esse expertem putare; quod si in Scythiam, aut in Cinnae sphaeram aliquis tulerit, cuius singulae conversiones idem efficiunt in Sole, & in Luna, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus, & noctibus quis in illa barbarie dubitet, quin ea sphaera sit perfecta ratione? hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur, & sunt omnia casu ne ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione, ac mente diuina mirabiliter productus, certe quis videat omnia haec ratis ordinibus moderata immutabilique constantia haud quamquam neget in esse aliquem non solum habitorem in hac caelesti, ac diuina domo; sed etiam rectorem, & moderatorem, & tanquam tanti operis, tantique muneris Architectum, in qua veluti pulcherrimum pavimentum principio terra vniuersa cenatur, locata in media mundi sede, solida, & globosa, & vndique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis exornata, frugibus decorata, & arboribus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos omnium riparum vestitus viridissimos, speluncarum conciuas latitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesque camporum; adde etiam reconditas auri, argentiisque venas infinitamque vim marmoris.

216 Quae vero & quam varia genera bestiarum, vel feriorum, vel ferarum; qui volucrum lapsus, atque cantus, qui pecudum pastus, quae vita syluestrius, at vero quanta maris est pulchritudo; quae species vniuersi, quae multitudo & varietas insularum, quae amoenitates horarum, & littorum; quot genera, quamque disparia, partim submersarum, partim fluitantium, atque innatantium belluarum, partim ad saxa natiuis testis inhaerentium, ipsum autem mare sic terram appetens littoribus claudit, ut vna ex duabus naturis conflata videatur.

217 Exinde mari finitimus aer quasi cristallinorum parietum huius aulae regiae, palatijque magnificentissimi constructio, qui die, & nocte distinguitur, isque tum fusus, & extenuatus in sublimem fertur; tum autem concretus innobis cogitur, humoremque colligens, paruimentum regie irrigat, terram augeat imbribus tum effluens huc, & illuc, ventos efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates, idemque & volatus alitum substat, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. His quasi parietibus innitens rectum fulgentissimum splendentem inquae, ac micantes fornices caelorum à domiciliis nostris altissimi omnia cingentes, & coercentes firmamenti complexus saphyro pulchriores, scin-

tillantibus planctis, fulgurantibus Astris, Sole, ac Luna infinito intervallo carbuncules, & adamantes incredibili, ac pulcherrimo splendore superantibus ad miraculum exornati, in quibus cum admirabilitate maxima ignea formae cursus ordinatos definiunt; ex quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam voluitur, isque Oriens, & Occidens, diem, noctemque conficit, & modo accedens, tum autem recedens binas in singulis annis reuersiones ab extremo contrarias facit, quarum intervallo, cum quasi trinitia quaedam contrahit terram, tum vicissim latificat, ut cum caelo hilarata videatur; sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo, quarum ita descripta distinctio est; ut ex notarum figurarum similitudine nomina inuenerint; quaeque in caelis; quae sibi propria volubilitate contorquentur; earum denique perennes cursus, atque perpetui cum admirabili, incredibilique constantia liquido, ac manifeste declarant, harum gubernatricem vim, & mentem esse diuinam, ut haec ipsa qui non sentiat diuinitatis vim habere, is nihil omnino sensurus esse videatur; nulla igitur in caelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest; contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia, quaeque his vacant, ea mentis, & falsa, plenaque erroris eum circum terras; caelestem ergo admirabilem ordinem incredibilemque constantiam ex qua conseruatio, & salus omnium omnis oritur, qui vacare, atque carere infinita ac potentissima, sapientissimaque gubernatrice, ac creatrice causa efficacissima putat is ipse mentis expers habendus, & existimandus esse videtur.

Quapropter Theologorum quoque communis, & diuinis libris deriuata sententia est res procreatas, atque productas quaedam esse vestigia quae Deus eas procreans tanquam patiens pedibus infinitae potestatis, impressit in nihilo. Per eadem naturae contemplator quasi venaticus canis sensuum acumine sagacitate mentis odorando progrediens, metiendo, ratio cinando, inferendo reperit eum earum auctorem, ac latentem licet in suae diuinitatis lumine deprehendit. Non quidem omnes perfectiones dei, quas nobis oracula diuina patefecerunt hic diligens venator hac inuestigatione colligit, ex ea tamen tum Deum in natura rerum inesse, tum earum Architectum molitorem, atque opificem fuisse tum iisdem vniuersis, ac singulis praesidentem providere; tum denique immensae virtutis, atque infinitae potestatis esse potest inuestigator idem intelligere.

Nam si Pythagoras Italicae Philosophiae maximus splendor tot laudibus commendatur, quid ex olympico stadio sexcentorum pedum, quod Herculis suis plantis fuerat aliquando metatus, corporis eius magnitudinem ingenij quae decem peda metator bonus comprehendit; docuitque praeterea ratiocinator; item optimus symmetriae naturalis corporum humanorum habitatio ratione, quanto esset aliis hominibus ille procerior: naturae speculator, & rerum, ut ita dicam accuratus decempedator; non ex ipsis Dei parentis omnium immensam colligeret infinitatem? sed quid ego rationibus probo id fieri posse quod constat Aristotelem sagacissimo ingenio praestitisse; qui de productionum motibus, & caelorum conversionibus primam

Quaest. I. Vtrum Deus demonstrari possit. 179

primam rerum causam inuenit & infinitae virtutis esse comperit; tum verbis Homericis vsus vnum Principem mundo praesse conficitur.

220 Cicero quoque Platonem, Aristotelemque sequutus ingenij sui bonitate naturam contemplans, isdem vestigijs indagat, reperit, probat Deum esse parentem, aedificatorem atque administratorem huius perfectissimi, pulcherrimique mundani palatii, quem tot orbes circumplectuntur, tot sidera illuminant, tot motus contrarij dispares recti, transuersi temperant, tot rerum genera complent, tanta varietas exornat, tantus ordo concinat, quem denique diernum nocturnumque vicissitudines quadripartitae commutationes temporum, perennisque singularum rerum, aliarum ex alijs ortus, interitusque perpetuat.

221 Vltimum colofonem huius discursui coronidemque imponat Magnus ille Gregorius cognomento Theologus oratione secunda, de Theologia in principio, ibi: [Etenim, quod Deus sit, ac Princeps, quaedam causa quae res omnes procreauit, atque conseruet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docet; illi dum rebus in aspectum cadentibus aciem assignunt, easque, & pulchre fixas & stabiles esse, & progredi atque immore, vt ita dicam, moueri vltimque perspicunt: haec autem, dum per res oculis subiectas, ac recto ordine collocatas auctorem earum colligit, atque allequitur, quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrime confectam & elaboratam conspiciens, eiusque concinnitatem, & constitutionem aut etiam ipsius citharae cantum audiens, nihil aliud, quam ipsum citharae conditorem, atque cytharadum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur etiam si de facie ignotum; eodem quoque modo nobis is, qui res efficit effectasque mouet, atque conseruat manifestus est etiam si mente minime comprehendatur. Ac nimis profecto hebes, & stolidus est quisquis non huc vsque sponte sua progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigijs claris insistit, atque adeo hoc sibi persuadet ne id quidem Deum esse, quod vel imagine quadam animi concepinus, vel orationis penicillo, vtrunque descriptimus.] Quid dulcius hac ad citharam affabre elaboratam Gregorij, musice harmonia dulcius, in qua verba quoties incido quasi in florem Nectaris, in medullam mellis, in Ambrosiae suauitatem primam incidisse videor. In quibus aduertat P. Vasquez, propositionem illam [naturaliumque demonstrationum vestigijs claris insistit,] quae sine dubio tota Gregorij Nezeni protectione ad quam confugebat tanquam ad aras pernitus destitutum spoliatum seque exaratum oculis usurpabit.

SVBSECTIO V.

Quantum argumentum principale ponitur.

222 Via in hoc orbe terrarum multa sunt, quae ad sui productionem infinitam in operando virtutem requirunt, & a qua tanquam a causa principali necessario debeant effici, & in lucem edi; ex quo manifeste colligitur dari a parte rei causam quandam ita praestantem, & infinita virtute pollentem, vt diuinam, & omnipotentem iure quidem optimo appellare debeamus; animus namque rationalis vtpote immortalis, ab omni concretionem terrestri segregatus independensque

I. P. Tom. II.

ab omni materia, vt latissime libris de anima demonstro, necessario debet proprie creari, hoc est ex nullo praesupposito subiecto produci.

Sicut etiam materia prima, quae quia primum omnium subiectum est, ab alio primo subiecto dependere, ex eiusque potentia educi nequaquam potest; si hoc negotium aequa veritatis, ac rationis lance ponderetur; alias materia prima vel non esset primum subiectum, vel si adhuc esset primum educeretur ex alio, necessario etiam illud, ex quo materia prima educitur, ex alio priori subiecto educeretur, ac proinde daretur sine dubio processus in infinitum in causis per se, & essentialiter subordinatis, quod falsum esse supra probauimus: ergo animus rationalis, & materia prima ex nihilo creantur a causa ipsos producente; sed nulla finita, & limitata causa potest ex nihilo producere, ac per consequens proprie creare: ergo causa, quae creauit materiam primam, & animum rationalem, est infinita & illimitata, & increata: ergo Deus.

Quod vero creationis munus petat causam non limitatam, ac finitam late probauimus in physicis, & Pater Suarez, manifesta demonstratione conuincit, & in hunc modum breuiter, ac dilucide ostenditur, quia omne creatum, & finitum necessario debet constare actu, & potentia, siue physicis, siue metaphysicis; quia omne creatum ex eo quod non sit actus parus in essendo, debet esse imensus, & immixtus potentialitate, cuius argumentum est, quod omne ens creatum, vt supra docuimus a possibilitate ad existentiam media actione suae causae extrahitur, quare siue Angelum concipias, siue animum rationalem consideres, inuenies in illis compositionem ex natura & substantia, ex possibilitate, & existentia, quae sunt potentiae, & actus metaphysici. Item in ipsis reperitur compositio ex potentia substantiali, siue ex substantia receptiua accidentium, & operationum; si autem in reliqua composita physica oculos conicias, verbi gratia, in hominem, mixta, elementa & caelos, sine dubio comperies esse constituta ex materia, & forma, quae sunt actus & potentiae in genere physico.

Itaque euident est, constitutionem cuiuscunque creaturae, esseque ipsius, petere, ac praesupponere potentiam ex qua sit, siue qua nullo modo, aut esse, aut concipi potest; atqui modus operandi alicuius causae sequitur modum essendi ipsius, & cum ipso proportionatur: ergo sicut modus essendi cuiuscunque creaturae petit, & exigit necessario potentiam passiuam, ex qua sit; ita similiter, parique ratione omnis operatio & productio creaturae petit potentiam passiuam, ex qua fiat necessario; & quam necessario, & essentialiter praesupponat; vnde sicut omnis creata entitas dependet necessario a potentia passiuam, siue physica siue metaphysica, ita similiter omnis operatio creaturae, quia etiam creatura est & a creatura cum proportionem oritur, petit necessario potentiam passiuam, a qua dependeat, & praesupponit potentiam receptiuam, ex qua fiat, & ex cuius potentialitate producat terminum; atqui huiusmodi productio, & operatio necessario est editio & generatio, & minime creatio: ergo nulla operatio creaturae est creatio.

Ergo euident colligitur nullam creaturam posse creare, quod expresse docuit Athanasius ser. 3. contra Arianos cum dixit administrare creaturam, ac seruare est, condere autem, atque creare solius Dei.

Z.

Verba

Verbi eius, ac Sapientiae] & ratio est, quia ipse modus efficientiae per creationem indicat summam quandam efficaciam, & independentiam in creatore, quia cum ad agendum nullam supponat potentiam realem extra se tantum requirit potentiam obiectivam, seu possibile per non repugnantiam; hoc autem indicat summam vim in potentia activa, & ideo dixit Cyrillus *lib. 2. contra Iulianum*: [efficaciter posse operari ut creatorem, & producere res quae aliquando non erant esse vnum ex iis, quae propria sunt solius, & omnium summam substantiam.] Nec mirum, quia cum omnis creatura sit mutabilis, & aliquo modo constans, ex actu, & potentia, ut iam dixi, verisimile est non esse causam naturam suam potentiam agendi, nisi per motum vel mutationem, & inducendo actum in potentiam, quia actus secundus, seu operatio imitatur actum primum, & esse operantis, ea enim ratione probatur animas brutorum non agere nisi cum dependentia à materia, quia illae ab ea dependent in esse, & è contra inde colligimus operationem animae rationalis esse independentem à materia, & esse spirituales (loquor enim de intellectione, & volitione, quae sunt propriae, & ultimae operationes animae rationalis) quia ipsa anima rationalis est spiritualis & independens à materia: sed nulla creatura est, quae non dependeat à potentia in esse, ut supra explicui, ac proinde nulla creatura est, quae non habeat aliquam compositionem: ergo nulla creatura potest habere aliquam actionem, quae non sit pars verae compositionis: sed creatio nullam facit compositionem tanquam forma vel subiectum ut ex se patet: ergo creatio non potest ex natura sua continere creaturam; ex quo fit è contrario, ut Deo conveniat posse creare, quatenus est actus purus, sine ulla potentialitate, & immersione in potentialitate, & ipsam esse per essentiam, ac denique quatenus virtutem habet infinitam, quae simul spiritualis sit & Deus, qui illam habet sit intellectualis, & liber, nam cum anima, quae creatur sit spiritualis intellectualis & libera, & ipsi conferre non poterit spiritualitatis, intellectualitatis, & liberi arbitrii perfecti onem agens, quin altius, & perfectius ipsum quoque illam haberet, quia nemo dat quod non habet (praesertim quum arbitrii libertas perfectio sit simpliciter, quippe cum vni cuique qua ratione ens est, melius sit eam habere quam non habere, absurdumque sit primam causam carere perfectione aliqua huius generis quam suis effectis tribuere valeat) manifeste sit ut agens, & produciens animam rationalem huiusmodi perfectionibus excellentissimo modo decoretur.

237 Tandem sic demonstratur nostrum intentum, quia qui Deum è medio tollunt, necesse est ut etiam auferant praemia virtutum, & vitiorum supplicia post hanc vitam, quis enim Iudex in ea causa erit: praesertim quod qui Deum à Republica rerum omnium excludit immortalitatem etiam animae negare debet, quibus è medio sublati virtus careret sibi debito praemio, & virtutum opposita peccata perfecta fronte hominum animis dominarentur, quia nullum supplicium timerent, ratione cuius virtus flocci penderetur, ratione laboris ingentis, quem secum adfert, quia omne opus virtutis arduum, ac difficile est, ut ait Philosophus *secundo libro Ethicorum*, vitia vero magni haberentur tum propter oblectationem, magni sensibilem, quam continent ut ita dicam; tum etiam quia facilius, & sine difficultate

executioni mandantur, quia propter homines viginti deditos, & studiosos rationique naturali conformes in operando vitam miserissime transigerent: facinorosi autem, & qui omnium scelerum ac criminum caeno se se ingurgitant summa cum laetitia, & felicitate cursum vitae traducunt, dicentes: [venite ergo & fruamur bonis, quae sunt & utamur creatura tanquam in iuventute celeriter vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non praeceat nos flos temporis, coronemus nos rosis antequam marcescant: Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum exors luxuriae nostrae: ubique relinquamus signa laetitiae: Quoniam haec est pars nostra, & haec est fors, opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduae nec veterani reuerentur canos multi temporis: Sit autem fortitudo nostra lex iustitiae; quod enim infirmum est inutile inuenitur, circumueniamus ergo iustum, quoniam inutile est nobis & contrarius est operibus nostris, & improprie nobis peccata legis, & distamat ori nos peccata disciplinae nostrae.]

Rationem huius reddit ipse Sapiens *cap. 2. in principio*, his verbis [dixerunt enim cogitantes apud se non recte: Exiguum, & cum tadio est tempus vitae nostrae, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuerfus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam non fuerimus, quoniam sumus status est in naturalibus nostris: & sermo scintilla, ad commouendum cor nostrum, quae extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffunditur tanquam mollis aer, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubes, & sicut nebula dissoluetur quae fugata est à radiis solis, & à calore illius aggravata: & nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum; Vnbra enim transiit est tempus nostrum, & non est reuerfus finis nostris, quoniam consignata, & nemo reuertitur.] Vnde ablato praemio in altera vita, quod condignum in hac non reperitur virtuti consonum sine dubio verificaretur id quod Diuus Paulus dicebat *ad Corinthios 1. 15*. ibi: [si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus;] si enim non sint praemia, neque calcaria erunt, quibus admotis animi eriguntur, & accenduntur ad virtutem; ex alio autem capite si non sint supplicia, quis erit securus ab improborum rapinis, & furore, quia supplicia freni sunt, quibus flagitiosi comprimuntur, quibus spumantes eisdemque cum sanguine saepe madentes huc illuc flectuntur, & restringuntur actus libidine, & immoderatis affectibus excitati; unde sceleratus homo suppliciorum reliquis frangitur, timoreque oppressus vel inuitus se continet, [et ut equi potentis animositas si inter resqua vel confragosa frangitur lege teneatur campum testatur deesse non cursum, ita scelerato inter effusa blandientis luxuriae, venena, inter ambusta furoris saepe pedem sistere, cursum frangere necessum est.]

Nulla vel parua respublica ita inermis, ita imperfecta ut praemiis, & suppliciis non utatur: ergo perfectissima haec orbis vniuersis respublica sine praemio, sine supplicio consistere nullo modo potest, nusquam auribus perbibimus Barbarorum etiam respublicas sine legibus administratas, quid enim bene ordinata urbs est vitiosa, honestius & proprius magisque necessarium quam decreta praemia,

praemia, & supplicia probis, & prauis: quomodo ergo non vrbē, sed orbem, non ciuitatem paucorum, sed vniuersitatem rerum hoc tam necessario bono priuat: praecipue cum videas honestam operationem esse meritum, cui quod praemium assignas: scelera, & crimina demeritum quibus si rationaliter loquaris supplicia debes proponere; tandem, qui semel hac infana mente effudit, omnes virtutes funditus labefactat, quod ipsi lumini naturali repugnat, ac proinde id quod asserit Atheista omni rationi contradicit, cum ipsoque naturae lumine aperto Marte pugnat. Quae omnia ad huc epilogum demonstratiuum reducuntur, quia euidenter est euilibet esse peccata contra dictamina naturae rationalis, & virtutis actus oppositos, sed etiam euidenter est peccata digna esse supplicio, & virtutem praemio: ergo euidenter est esse aliquem superiorem, qui in hac naturali lege praesidet, & facta quilibet perpendat, quia saepe haec occultissima sunt & suo tempore puniunt, si mala sunt. Pater hac consequentia, quia dictamen rationis contra quod est peccatum, & cui confirmatur virtus est lex naturalis, sed lex sine legislatore, & superiore constare non potest; in humana enim Republica bene ordinata esse debet aliqua potestas ad quam pertineat facere vt leges illius impleantur: ergo in naturali Republica aliquis superior praesidet toti naturae, qui iudex sit, & superior respectu illius.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria soluntur.

238 **A**D primum argumentum respondeo, licet creaturae non sint medium proportionatum ad intuitum cognoscendum, & videndum Deum, nihilominus tamen esse proportionatum ad abstractiue cognoscendum euidenter existentiam Dei, seu Deum quoad an est, quia omnis effectus est proportionatus ad indicandam euidenter suam causam, ratione illius principij, quidquid producit ab alio producit: sed omnis creatura est effectus Dei, quia omne ens participatum, & secundum dependet ab imparticipato, & primo ente: ergo omnis creatura est euidenter proportionata vt sit medium demonstrationis ad probandum dari Deum; nam creatura habet existentiam & entitatem, quae licet ratione differentiae excedatur à Deo, nihilominus ratione existentiae entis vt sic aequaliter & vniuoce conuenit cum existentia, & entitate Dei, in quo est proportio sufficiens. Deinde Diuus Thomas respondet his verbis 1. part. quaest. 2. art. 3. ad tertium, dicendum quod per effectus non proportionatos causam, non potest perfecta cognitio de causa haberi: sed tamen ex quocunque effectu potest manifeste nobis demonstrari causam esse, vt dictum est, & sic effectibus Dei potest demonstrari Deum esse, licet per eos non perfecte possimus eum cognoscere secundum suam essentiam.

239 Ad primam confirmationem respondetur demonstrationem ex creaturis non procedere ex earum actuali existentia, tanquam ex principio, sed tanquam manuuctione ad colligendam existentiam aptitudinalem: ex qua fieri potest demonstratio procedens ex simpliciter necessitatibus, vt ait Scotus in 1. d. 2. q. 2. §. quantum ad primum, in responsione ad secundam instantiam, & Mayron. q. 3. in fine: necessarium quippe est dari

entia aliqua capacia existentiae causabilis & ipsa experientia euidenter notum: quin vero ad demonstrationem physicam satis sunt principia, quae contineant physicam necessitatem, qualis censetur ipsa actualis rerum existentia: & ita concedi posset cum Heruazo citato demonstrationem, quae procedit ex existentia, procedere ex necessitatibus. Quando vero dicitur connexionem creaturae cum Deo esse contingentem, similiter distinguendum est de actuali, & aptitudinali, & quamuis actualis tolli possit desinente creatura, aptitudinalis nequaquam: dependentia enim creaturae à Deo, vel est substantia ipsius, vel inseparabilis proprietas, quae proinde creatura existens ex vi nequit: quomodo actualis dependentia comparata cum creatura actualiter existente necessaria simpliciter est, nec vlla virtute separabilis. Respondet secundo cum Alberto in 1. d. st. 3. art. 1. ad quartum, & art. 2. ad tertium, vt ex vno demonstratione inferatur aliud, non requiri mutuum necessitatem connexionis ex vtraque parte sed ex ea, à qua sumitur argumentum: & ita inter creaturam, ac Deum dari necessariam connexionem, non ex parte Dei, quoniam esse potest absque omni creatura, sed ex parte huius, quae si est, necessario pendet à Deo, atque adeo ex eius existentia necessario & euidenter colligitur existentia Dei.

Ad secundam confirmationem respondetur, discursum ex creaturis non assumere pro medio dependentiam à Deo, sed existentiam absolutam ipsarum: ex qua deinde per disunctionem sumitur, quod talis existentia vel sit ab ipsis creaturis, vel ab aliquo alio, & per exclusionem prioris membri tandem longo discursu concluditur, quod sit ab vno alio primo, & quod hic sit Deus: & ita concedendum est ex sola existentia creaturarum absque aliis principiis assumptis non demonstrari esse Deum; quemadmodum ex sola existentia lucis, vel alterius effectus non agnoscitur sol, aut alia causa, nisi praecesserit experientia, quod effectus ab illa causa procedat: & quod in his effectibus facit experientia in creaturis respectu Dei facit discursus intellectus; ad id vero, quod obicitur praenotionem habitudinis ad causam iam innouere notitiam causae: Respondetur, si habitudo cognoscatur, vt innotuit extrema certa, ac determinata necessario innotuit notitiam extremorum: at, si ex altera parte sumatur, vt terminata ad extremum incertum, ac indeterminatum, non opus esse, vt ad sit certa, ac determinata notitia illius, verbi gratia, si cognoscatur Salomon esse filius alicuius hominis, non exigitur vt cognoscatur esse Filius Davidis: similiter in discursu, quod Deus ex creaturis demonstratur id, quod primo ac per se ostenditur, est dari causam aliquam primam, à qua creaturae omnes dependent: & proinde nondum habetur notio Dei determinate, sed in confuso, & generali: postea vero alio discursu concluditur hanc causam non esse aliam, quam Deum, & ideo non datur circulus nec impossibile est Deum ex creaturis agnosci.

Ad secundum argumentum etiam militat aduersus eos, qui ducunt ex creaturis solum probabiliter cognosci Deum: nam ipsi quoque respondere debent, quo usque ea notitia progrediatur, extendaturne ad omnes, an ad aliquas tantum perfectiones Dei; respondeo autem in primis negando consequentiam: nam licet admitterem cognoscet in via quoad questionem an est, perfectiones omnes absolutas Dei, non proinde sequitur habere hominem notitiam diffinitiuam Dei: ad hanc